



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Parnassus Catholicus Sive Succincta Quorundam inter
Religiones modernas discrepantium Dogmatum Poëtica
enodatio**

Mertz, Johann Wilhelm

Viennae Austriae, 1679

urn:nbn:de:hbz:466:1-9862

Th
2674

Th. 2674.

J X. ~~X~~
X. 12

Ex legato Chm. Principis Ferdin. Ep. Pd. et Non.

PARNASSUS CATHOLICUS

SIVE

Succincta Quorundam inter Religiones modernas discrepantium Dogmatum Poëtica


Collegii Solli enodatio Publico exposita Juv. Padib. 1683.

A
**JOANNE WILHELMO
MERTZ A QUIRNHEIM.**

*EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS
MOGUNTINI DOMINI*

*LOTHARII FRIDERICI,
GLORIOS: RECORD: QUONDAM
CONSILIARIO AULICO.*

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.



VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis JOANNIS JACOBI KÜRNER, Anno 1679.

LEOPOLDUS Divinâ favente clementiâ
Electus Romanorum Imperator semper Augustus,
ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliae & Würtembergæ, Comes Tyrolis. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium, quod cum nobis Noster & Sacri Imperij Eques & fidelis dilectus JOANNES GUILIELMUS MERTZ à Quirnheim, humillimè exposuerit, se Traetatum quendam suum Poëticum, PARNASSUS CATHOLICUS, intitulatum præli beneficio Juris publici facere constituisse, vereri autem, ne perfecto jam opere alij quoque quæstus causâ falcem in messem hanc suam immittant, seque adeò & laboris & impendi fructu frustrentur; demissè supplicando, quatenus se adversus ejusmodi molitiones Privilégio Nostro Typographicò præmunire clementè dignaremur; Nos ijsce precibus uti æquitate ipsâ nitentibus benignè censuerimus annuendum, prout hisce annuimus, omnibus idcirco ac singulis Bibliopolis, Typographis ac Bibliopegis cæterisque quibuscunq; rem seu negotiationem librariam exercentibus seriò ac districte, idque sub Pœnâ quinque Marcarum auri inhibentes & vetantes, ne quisquam eorum præter prædictum Impetrantem, aut eum, cui is desuper dederit licentiam, antefatum PARNASSUM CATHOLICUM intra decennium proximum à primâ editionis die computandum quounque modo, charætere, aut formâ recudere vel aliò recudendum dare, aut alibi etiam impressum intra Sacri Romani Imperij, Regnorumq;ne & Dominiorum Nostrorum hæreditariorum fines ad portare, vendere, seu clām vel palām distrahere præsumat. Si quis autem Edictum seu Privilegium hoc Nostrum transgreedi, violare, aut contemnere deprehendatur, eum non solum libris istiusmodi perperam quippè recusis & apportatis (quos dictus Impetrans, ubiunque inventi fuerint, sive propriâ sive Magistratus ejus loci authoritate atque auxilio sibi vindicare poterit) privandum, sed & supradictâ Pœnâ fisco Nostro Cæfareo cœu fraudis vindici & injuriam passo ex æquo pendendâ omni spe veniæ sublatâ decernimus mulctandum: Dummodo tamen hujus Privilegij Nostræ Cæfarei tenor pro cujusque notitia in fronte præimprimatur, & quatuor ad minimum ejus Exemplaria ad Cancellariam nostram Imperialem transmittantur. Mandamus porrò universis nostris & Sacri Imperij, Regnorumq;ne & Provinciarum Nostrarum hæreditariorum Magistratibus Ecclesiasticis & sæcularibus cuiuscunque ordinis, conditionis, & gradus fuerint, ne quenquam huic Nostro Cæfareo Privilegio ullatenus impunè contravenire patientur, quin potius ejusdem transgressores supradictis Pœnis alijsque modis idoneis coerceri current, quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint. Harum testimonio litterarum manu Nostrâ subscriptarum & Sigilli Nostræ Cæfarei appressione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra VIENNÆ die tertiatâ Mensis Augusti, Anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, Regnum Nostrorum Romani vigesimo secundo, Hungarici vigesimo quinto, Boemici verò vigesimo tertio.

LEOPOLDUS.

Ut, Leopoldus Guilielmus
comes in Königsegg.

(L.S.)

Ad Mandatum Sacrae Cæfareæ
Majestatis proprium.
Christoph : Beüer.

**REVERENDISSIMO,
ET CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DOMINO
FERDINANDO,
EPISCOPO PADER-
BORNENSI, ET MONA-
STERIENSI, BURGRA-
VIO STROMBERGENSI,
SACRI ROMANI IMPERII
• PRINCIPI, COMITI PIR-
MONTI, ET DOMINO
IN BORCKLOE, &c. &c. &c.**

Domino meo Clementissimo.

Vitam & prosperrima votorum incrementa!

RE-

REVERENDISSIME, ET
CELSISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME.

Diu multumq; & meritò dubitare
debui, sæpiusq; deliberare, utrum
hunc PARNASSUM CATHOLI-
CUM in publicum edere, & typis evulgare
operæ pretium futurum esset? præsertim cùm
ita mihi serio rem perpendenti quamprimum
obvium erat obstaculum non leve, imperfe-
cta nimirùm Theologiæ Scholasticæ notitia,
quâ tanquam fundamento nititur hic tracta-
tus; Verùm isthunc ausum sæpius olim re-
petita controversorum articulorum ver-
balis disceptatio promovit, ut quosdam di-
scre-

screpantes fidei nodos , quantum per otium
Juris publici & privati licuit, succincte & in
scriptis enodare decreverim. Quantumvis
autem fluctuantis animi indicium cogitatio-
nes ita prodere, dubiamq; reddere mentem vi-
derentur ; majores tamē curæ, & multò gra-
viores nutantem animum obruere, magisq;
anxium effecisse deprehēdi, in eo scilicet, quem
Patronum huic Opusculo contra acerbos ca-
lumniantium morsus, & certissima adversa-
riorum tela quererem, cuius authoritate so-
lā & tutelā inconsideratum impetum cohibere
liceret? Et ecce quamprimum summum Pa-
trocinium in te REVERENDISSIME & CEL-
SISSIME PRINCEPS & sub umbrā mitræ tuæ
Principalis liberaliori fortè fiduciâ ductus
mihi polliceri potui, ut Augustissimo Nomi-
ni

ni tuo parvum hunc controversiarum fasci-
culum inscribere eò minus dubitaverim: Po-
tissimum cùm non ignorarem, quam \mathfrak{G} orbis
non ignorat, perfectissimam REVERENDIS-
SIMÆ CELSITUDINIS Tuæ rerum omni-
um cognitionem, atq; doctissimum earum in-
tellectum. Stimulos maximè addidit præter
incomparabilem istam sacram profanamq;
doctrinam, REVERENDISSIME \mathfrak{G} CELSIS-
SIME PRINCEPS, tuum in Poësi \mathfrak{G} Versibus
delectamentum, quod jam pridem toti orbi in
scriptis tuis præclaris in ævum duraturis
summo cum applausu patefecisti, ut meritò
hos labores tuos doctissimi quique \mathfrak{G} forte
jam extincti, susplexerint, præsentes miren-
tur, posteritas autem admirari non desinat.

His itaq; adminiculis fretus ad REVE-

REN-

RENDISSIONAM CELSITUDINEM TUAM
majori cum fiduciâ accedo, & hunc PAR-
NASSUM CATHOLICUM, quem sub CEL-
SISSIMO NOMINE TUO vulgari gratosissi-
mo nutu permittes, apud benignitatis tuæ a-
ram in signum devotissimi animi depono, &
temeritatis hujus veniam insuper quam de-
missimè precor. Vive & vale, REVEREN-
DISSIME & CELSISSIME PRINCEPS, Vive
DEO, Vive PATRIÆ, & Vive TERRIS DI-
TIONIS TUÆ, Vive omnibus fideliter te Co-
lentibus, & Vive mihi meisq; per multos &
Nestoreos annos, favoreq; Principali com-
plete.

REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS
TUÆ

Devotissimum obsequientissimum

JOANNEM WILHELMUM MERTZ à Quirnheim,



BENEVOLO LECTORI SALUTEM!

Ecce habes, BENEVOLE LECTOR, Parnassum Catholicum, sive Quæstiones quasdam in Religione controversas, & earum solutionem, quæ plerumque contra Romanam sedem, & ejus purioram doctrinam præ reliquis agitari solent. Non tibi autem persuasum velim, ac si professum nostrum sit in controversijs studium; ut potè extra activitatis sphæram, & propositum publici privatiq; hactenùs continuati Iuris scopum ita nos frustra vagari, ab eoque longissimè aberrare, quam feliciter attingere accideret: sed illud duntaxat intendere placuit, ut huic controversiarum exercitio paulisper assueti, inter graviores labores Divinorum quoq; curam habere videremur, simûlque brevitatis & memoria juvanda gratiâ ad objectiones adversariorum per otium quasi respondere, responsiones argumentis & textibus sacris confermare, ita confirmatas fideliter veterumq; Patrum doctrine conformiter propugnare liceret. Vale & fare, atque aliud Iuris tūm publici, tūm privati; Universæ scilicet successionis opus, quod jam sub prælo est, & penè confectum, exspectare ne graveris.

Imprimatur Joannes Baptista Mair,
Universitatis p.t. Rector.

PAR-



PARNASSI CATHOLICI QUÆSTIONES.

- | | |
|--------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------|
| 1. <i>De Sanctis eorumq; Invocatione.</i> | 7. <i>Virum Christus unam quoq; dederit</i>
<i>speciem?</i> |
| 2. <i>De Festis.</i> | 8. <i>De Missâ.</i> |
| 3. <i>De Cœnâ Domini.</i> | 9. <i>De Ieconiis.</i> |
| 4. <i>De Transubstantiatione.</i> | 10. <i>De Votis.</i> |
| 5. <i>An Corpus Christi sit extra Esum?</i> | 11. <i>De Papatu.</i> |
| 6. <i>An Christus utramq; dederit spe-
ciem?</i> | 12. <i>De Primatu Pontificis.</i> |

QUÆSTIO PRIMA, DE INVOCATIONE SANCTORUM.

Quæremus primò de Sanctis deque Beatis,
Num videant nostras, percipiantque preces?

Quod non, indè liquet: quia Christus solus & unus
Non aliud salvat, justificatque Deus.

Solus adorandus, solus Mediator, & ipse
Solus pro nobis statque, rogatque Patrem.

Solus non aliud nos vultque potestque juvare,
Cur opus est alios fingere, totque Deos?

Se vult, non alios nos implorare Deastros,
Ad se, non alios, nosque venire jubet.

Solus nos audit, solusque abscondita novit,
Vnicus & solus Cardiognosta Deus.

Solus quid nobis desit super æthera novit,
Israël ignorat nos Abrahamque Pater.

Pars Ne-
gativa.

Esaiæ 63.
Mattb. 4.

I. Tim. 2.
Rom. 8.

Mattb. 11.
Dent. 13.

A

In

Rom. 10. In solum Christum, Sanctos non credimus ullos,

Cur quos ignoras supplice voce rogas?

Christus, non Petrus, non ulla Maria redemit,

Christus, non Petrus nos juvat atque beat.

Rom. 3. A Christo Sancti, non Christus pender ab illis,

Ut nos sic illi gratiâ egemus egent.

Mortuus est Petrus, nil novit, cernit & audit,

Ergò roga Christum, quem rogat ipse Petrus.

Absque Petro Christus, sed Petrus non sine Christo,

Omnia propitius quæ petis, ipse dabit.

Cuncta hæc sunt cunctis certa indubitata, quid ergò

Quærimus incertos invalidosque Deos?

Pars affirmativa. Omnia de Sanctis quæ sunt modo dicta beatis

Haud ullâ dici cum ratione: patet.

Namque Deus solus si est implorandus, & unus,

Cur hominem imploras suppliciterque rogas?

Nonne rogas homines, ut pro te Numen adorent?

Et simul implorent, auxiliumqüe petant?

An non sunt homines vivi super astra beati?

An non, quæ miseri dona rogamus, habent?

Quomodo sunt ergò cœci super æthera Sancti?

Et surdi & muti & mortui & exanimis?

Sep. 3. An tibi qui vitam vivunt sine fine beatam,

Sunt cœci, surdi, mortui, & exanimis?

Sed perpende parum si vis cognoscere verum,

Dicere, quod Sancti nil super astra sciant:

Nos neque cognoscant, videantqüe, nec ore precantes

Percipient: omni dic ratione caret.

Nam si Mortales, & adhuc in corpore vivi

Id poterant, Sancti quomodo non poterunt?

An

An nunc fortè minus poterunt, quām tunc potuerunt?
 Ergò beata soli sors magis atq; poli?
 Si tunc orārunt miseri, jam fortè beati,
 Cur non orarent, suppetiasq; darent?
 Et si pro Sanctis, nos quondam oravimus ipsi,
 Pro Nobis Sancti, cur rogo non rogitent?
 Ingrati nimiūm nobis mortalibus essent,
 Si non orarent, si precibusq; preces
 Non compensarent, nec amicis rūrsus amici
 Aut memores Cives, fratricolæq; forent.
 Quomodo non nōrunt nos, si nos novimus ipsos?
 Quomodo nil possunt, qui bona cuncta tenent?
 Quomodo nil cernunt, cernentem qui omnia cernunt?
 An nihil ille videt, qui bona cuncta videt?
 Quomodo nil possunt, qui tot miracula patrārunt?
 In terris quondam, quotidièque patrant?
 An non sanarunt ægros, quicunque rogarunt?
 An non curārunt noxia quæque pij?
 An non per vestes, sudaria cingula & umbras,
 Plurima fecerunt, corpora & ossa quoque?
 Scilicet in terris Sanctorum corpora & ossa
 Mortua fecerunt multa, & adhuc faciunt:
 Ipsæ animæ in cœlis felices atque beatæ
 Nil poterunt, quamvis nocte dieq; roges?
 Dicere nempè volunt, quod mortua corpora vivant,
 Sint verò ipsæ animæ mortuæ & exanimis?
 Sed si nil possunt, si nil super æthera cernunt,
 Si nil percipiunt, nilque juvare queunt,
 Quānam cum Christo, quâ sunt ratione beati?
 An quod erant essent perpetuòque forent?

A 2

Quo-

*Vid. August.
lib. 2. de Ci-
vit. cap. 8.
Marc. ult.
Act. 2. 5. 9.
20.
Act. 19.
4. Reg. 14.
Eccles. 58.
49.*

4.

Psalm. 149. **Quomodo compedibus Reges manicisque ligabunt?**
 Quomodo decernent omnia judicio?

Luc. 16. **Quomodo percepit clamantem Abrahamus ab orco**
 Ditem, cùm peteret, dùm pateretur, aquam?
Quomodo mendicum cognovit, & Angelus ipsum
 Jam vitâ functum vidit? ad astra tulit?
Quomodo suscepit gremio pater ille beatus?
 Nonne beatus erat? nonne rogatus erat?
Hicque vides Sanctos non solùm orare licere,
 Quin etiam oratos sàpè negare preces.
Eccò rogat dives, sed non rogat ipse rogatus,
 At pro mendico non rogitante, rogat.
Cur? quia clamantem vivus non audiit ipse,
 Nec dedit afflìcto, dùm pateretur, opem.
Nunc vitâ functus Sanctos implorat & ipse,
 Sed frustra, referunt sic super astra vicem.
Impius ille tamen Sanctos & honorat & orat,
 Spemque aliquam in Sanctis, subsidiumque locat.
Scilicet ex orco rogat impius, audit & illum
 Sanctus Abram, & nos non audiet ille Pater?

Objec̄tio. **Fortè dabis Sanctos per sese & spontè rogare,**
 Non tamen orandos: abs bona credulitas.
Nam si spontè rogant, quànam ratione rogandi
 Non sunt, ne cessent, promptiùs atque rogent?
An quod quisque facit, per sese & spontè, rogatus
 Ampliùs & longè promptiùs id faciet?

*Ovid. lib. 2.
de Ponto.* **Sic oratur homo mortalis, & Angelus, imò,**

Elegia 11. **Vt quidam censem, Christus & ipse Deus.**
 Si non sciremus quod per se spontè rogarent,
 Nemo imploraret, nemo rogaret eos.

Sed

Sed quia pro nobis scimus, quod sponte precantur,
Semper & assiduè sollicitèque Deum.

Idcirco audentes accedimus atque rogamus,
Ut non desistant, promptius atque rogent.

Si dicas : aliam de vivis esse sequelam,
Vivos vivorum posse rogare preces.

Non ita defunctos pro vivis, nec quoque vivos
A jam defunctis ; vana loqua nimis.

Nam rogitare Deum est animæ, non corporis actus,
Et sic audire & noscere & appetere.

Et quænam ratio est, Sanctos super astra beatos
Dicere defunctos & Exanimesque animas ?

Quomodo ut acquirant vitam, moriuntur ijdem ?
Quomodo si vivunt, mortuus ullus erit ?

Si vivunt melius quam nos, ne dixeris illos
Ceu bruta extintos, prorsus & exanimes ?

Per mortem vitam, non mortem acquirimus, ista
Nos fugit, illa venit perpetuòque manet.

Si dicas : Solus Deus est orandus, & ipse
Solus adorandus ; dico negando prius.

Solus adorandus, sed non orandus ; id illi
Ac vni soli competit, hoc alijs.

Namque oratur homo, rectèque oratur, ut ipse,
Non tamen oratur, quem rogat ille, Deus.

Nec mihi tu dicas, hominem quod qui orat, adoret,
Aut credat stultus, quos rogat, esse Deos.

Quâ ratione Deos facit is, qui poscit ab ipsis,
Ut pro se Christum sollicitentque Deum ?

Quomodo si Sancti dij sunt, orantur ut ipsum
Pro nobis Christum, sollicitentque Deum ?

Objectio.

Responsio.

Objectio.

Responf.

Aut

Aut tu quos oras, stultus fortassis adoras?
 At longè res est, oro & adoro alia,
Vetten vnd anbitten/ græcis dulia Latria,
 Sunt diversa nimis, ceu Deus est & homō.
 Christus adoratur, sed Sancti orantur, ut ipsum
 Orent, quem Sanctus, ceu quoquē adorat homo.
 Falsum est ergo Deos faciat, quicunque beatos
 Invocat, ut Christum supplice voce rogent.
 Namquē idcircò Deum facimus rogitare beatos,
 Ne quis forte illos censeat esse Deos:
 Servorum namque est, non est rogitare Deorum,
 Testaturque alium, qui rogat, esse Deum.
 Falsum est pro nobis, quod Christus, ut impetraret, oret,
 Sic etenim servus, non foret ille Deus.
 Qui si naturā quod poscit & orat, haberet,
 Non ullam peteret, sed peteretur, opem.
 Atque hinc dum Sancti per nos orantur, ut orent,
 Esse illos servos, non probat esse Deos.
 Si dicas: Solus Mediator, itemque Redemptor
 Est Christus, nullus Sanctus is esse potest.
 Distinguo: Solus Mediator Sanguine Christus,
 Non prece, quā mediis quilibet esse potest,
 Et licet is solus possitquē velitquē juvare,
 Sæpè tamen non vult, id nisi per medios.
 An potuit solus totum convertere mundum?
 Ast quamvis potuit, non tamen id voluit.
Job. ult. An potuit Jobbi, voluitquē iratus amicis,
Num. 14. Quin populo toti parcere Judaico?
21. Et tamen id quamvis posset, velletquē rogatus,
 Non nisi per medios, quos voluit, voluit.

Hinc

Hinc etiam Moyses Mediator, & ipse sequester
 Plebem interque Deum, dicitur, atque fuit.
 Nec tamen ut Christus fuerat Deus ipse Redemptor,
 Sed tantum precibus, tum Mediator erat.
 An non est solus Salvator Christus IESUS?
 Sunt tamen hoc ipso nomine multi alii.
 An potuit solus Chananæam aliosque juvare?
 Et tamen id voluit, non nisi per medios.
 Sic quamvis solus possitque velitque juvare,
 Sæpe tamen non vult, ceu modo dicta probant.
 Sæpe petit Moyses, Danieles & Samueles,
 Sæpe petit Jobbos: quos vocat ipse Deos.
 Quin etiam hos ipsos (alias quos audit, amatque)
 Sæpe licet rogitent, non tamen audit eos.
 Hinc illa ipsius vox est, convertere ad ipsos.
 Si qui sunt, Sanctos: Ecce quid ipse monet?
 Si fors de Sanctis vivis ea dicta putaris,
 Nemo post mortem definit esse quod est.
 Si Sanctus fueris, Sanctus super astra manebis,
 Quod poteras poteris, namque beatus eris.
 Si solus Deus est (ut vis) orandus & unus,
 Cur homines vivos Christus adire jubet?
 Cur Paulus vivos toties implorat & orat?
 An non sunt Sancti vivi? hominesque pij?
 Ast dicunt Nobis quibus est cum pugna beatis.
 Quid mihi cum Sanctis Fictitijsq; Dijs?
 Si Christum teneas, Sanctos cur queris inanes?
 Cur rivos sequeris fons tibi dum ipse patet?
 Cur servos rogitas, jubeat cum se ipse rogari?
 Quod debes Domino cur tribuis famulo?

Deut. 5.

Gen. 48.
Iud. 3.

Matt. 15.

Psal. 81, 83.
Ioan. 10.
Iob. 5.
Ierem. 14.Ioan. 5.
Hebr. 13.
Coloss. 1. 3.
1. Tim. 5.
2. Tessal 3.
Objectio.

Chri-

Genes. 3. Christus, non Petrus Deus est; non ipsa Maria

Esaie. 48. Contrivit colubri, Christus at ipse caput.

Philip. 4. Hic honor, haec nostri solius gloria Christi est,

Illi, non alijs flectitur omne genu.

Responsio. Ast haec ut fatear, sunt prorsus inania verba,

Verba omni solidâ, quæ ratione carent.

Quid mihi cum Sanctis, inquis, quasi cura sit ipsis

De te non Sancto, forsitan & reprobo?

Quos si etiam lachrymis dives velut ille rogaes,

Responsum ferres forte, quod ipse tulit.

An nescis Sanctos gladios, ferrumque tenere,

Vt te per medium, nil miserando secent?

An nescis Sanctos cum Christo Judice quondam

Condemnaturos, teque tuique pares?

Et tum quid facies? num Christum forte vocabis?

Judicium at Sanctis tradidit ille suis.

Absque suis Sanctis si quem damnare scelestum

Aut vellet Christus, quemque beare pium,

Haud secum Sanctos adduceret ense paratos,

De te vindictam sumere promeritam.

Psal. 149. Nonne tenent gladios, manicasque & vincula Sancti,

Vt stringant Reges, discutiantq; tribus?

An ignorabunt ergo quid feceris ipsis?

An te non spernent? tu quia spernis eos?

An qui spernit eos, Dominum quoq; spernit eorum?

Luc. 10. An non Sanctorum gloria, & ipsa Dei est?

Psal. eod. Ergo de Sanctis, de Divis deq; Beatis,

Et de Judicibus, Vindicibusque tuis,

Quid posthac credas, quid dicas quidque loquaris,

Ne fors impingas garrulitate, vide.

Si

Si tibi cum Sanctis nostris nihil esse putaris,
 Ast ipsis tecum non nihil esse puta.
 Judicio illorum tu stasque cadesque supremo,
 Non illi, ut reris, vaniloquendo tuo,
 Esto memor Sanctis quod fit, Christiq; Ministris,
 Non ipsis fieri, sed fieri Domino.

Quicquid enim ex minimis uni fecistis, id ipsum
 Non ipsis, inquit, sed mihi feceritis.

Matt. 25.

Cumq; aliter Sanctos, nisi non oremus & orent,
 Nonne unum & solum prodimus esse Deum?
 Quem nos cum Sanctis pariter, Sanctique vicissim
 Orant nobiscum: quod scelus istud age?
 An orare Deum, Sanctos, hominesque piaculum est?

An quicquam res haec impietatis habet?
 An sic detrahitur quicquam vel gloriae, honori,
 Vel Christi merito, vel proprio officio?

Anne vides, Sanctos dum poscis adire tribunal,
 Et Christi genibus se dare supplicibus:
 Seryari, augeri, simul ostendique supremam,
 (Non tolli aut minui, ut vulgus inane putat)

Christi Majestatem, & honorem & gloriam, & ipsos
 Sic servos, Christum, sic remanere Deum?
 Gloria quod Christi Sanctis tribuatur honorque,
 Atque loco Christi constituamus eos?

An Deus ille tibi est, qui supplice voce rogatur,
 Ut pro te rogitet supplice voce Deum?
 Dum Sancti Christum pro te super astra precantur,
 Testantur Christum nonne precando Deum?

Quod si quando ferant ut opem salventque, rogantur
 Sancti, solius quod patet esse Dei;

*Quomodo
Sancti inves-
centur?*

B

Non

Non debes sensum tibi sic confingere falsum,
 Id quasi, quod Christi est, attribuatur eis.
 Id falsum esse vides : homines sic namque rogantur,
 Nec tamen idcirco sunt velut ipse Deus.
 Sic ergo vere , sic sensum intellige sanè ,
 Cùm petitur, nos quòd Virgo Maria juvet.
Quod sit Salvatrix , Mediatrix , Auxiliatrix ,
 Spes, Dea , confugium , vita Salusqüe hominum ;
 Id non divino, sed nostro intellige sensu,
 Hoc est humano , persimiliqüe modo.
 Nam non simpliciter petitur quod dent, sed ut illa
 A Christo exorent, obtineantqüe prece.
 Hoc autem servos (quamvis super astra beatos)
 Subiectos Christo, non probat esse Deos.
 Si, quæ sunt Christi, tribuuntur fortè Mariæ
 Non stolidè , ut dixi, percipe , sed solidè ,
 Non quod sit talis per se, vel talia possit ;
 Sed quia progenuit, cùi tribuuntur ea.
 Ergo quod est Christus, quod datqüe facitqüe, Mariæ ,
 Sæpè dare & facere, & dicitur esse quoque.
 Illâ nimirum tantùm ratione , quòd ipsa
 Ipsum progenuit, qui est, dat & illa facit.
 Nam nisi cœlesti virtute operante, per ipsam
 Ipse datus nobis, progenitusqüe foret,
 Jam genus humanum non esset ab hoste redemptum,
 Jam spes æternæ nulla salutis erat.
 Ergo Redemptorem, quia protulit atqüe salutem ,
 Hinc Spes, hinc Vita, hinc dicitur esse Salus .
Quod causa est causæ, causati causa vocatur,
 Nunc, quod sit Christi causa Maria, patet.

Re-

Rectè igitur Christus quæcunque operatur, & ipsa,

Dicto nempè modo, causa Maria facit,

Quamvis intimiùs si rem perspexeris ipsam,

Nil nisi per Christum, Virgo Maria potest.

Est autem dubium nullum, qn in omnia possit,

Ecquid enim Matri, si petat, ille neget?

Et quia nec Sancti sine Christo, nec sine Sanctis

Ipse quoque est Christus, nec sine utrisque Deus:

Sanctos si teneas, Christumque Deumque tenebis,

Luc. 10.

Sanctos qui spernit, spernit & ipse Deum.

Si Christus non est sine Petro, tu sine Petro

Ad Christum Dominum quomodo pervenies?

Sed Christus, dices, ad se Patremque venire,

Objetio.

Non jubet ad Paulum currere, sive Petrum.

Sic benè non loqueris, nec scis quid, quævè loquaris,

Responsio.

An non cum Sanctis qui venit, ille venit?

An non pervenit Paralyticus ille grabato

Marc. 2, 6.

Latus & oblatus? ceu quoque multi alij?

Ioann. 5, 11.

An non per rivos directo Calle venitur

A& 5, 9.

Ad fontes ipsos & per famulosque ad heros?

Sive ergò ad Christum solus, seu veneris únà

Cum multis alijs, nonne perindè venis?

Sed memor esto, Deum non exaudire scelestos,

Quamvis cum Sanctis omnibus usque rogent.

Nam Peccatores quòd non exaudiat, ipse

Ioann. 9.

Dixit, & Exemplis sæpè probavit idem.

Antiochum quondam frustrà rogitâsse memento,

2. Mach. 9.

Nec reperisse Esau cum lachrymis veniam.

Hebr. 11.

Sæpè Deus solos, quos exaudire precantes

Non vult, per medios vultque juvatque alios.

Vult

Iob. ult. Vult Jobbos, Moyses, Danieles, vult Samueles,
 Vult Justos, Sanctos, vult hominesque pios.
 Hos vult, te non vult, sed pro te vult tamen ipsos
 Audire, hoc constat, nemo negare potest.
 Hinc ea sunt summi (nisi fallor) verba Tonantis,
 Ite meum ad servum Job, quia Sanctus is est.
 Hunc volo pro vobis, non vos audire precantes,
 Ecce quid ipse velit, quid jubeatque Deus?
 I modo, tu dubita, num Sancti scilicet orent?
 Num vivant, videant, percipientque preces?
 Fac Sanctos surdos, mutos, cœcosque sepultos,
 Dic animas ipsas, si libet, exanimis.
 At certe vivunt homines super astra beati,
 Et cum possideant omnia, & ipsa dabunt.
Objec^{tio}. Sed DICES; Christus solus juvat, atque juvare
 Solus non aliis (quisque sit ille) potest.
Responso. Responsum est supra: nam quamvis possit id ipsum,
 Non nisi per Sanctos sœpe fit, atque facit.
 Quidquid fecerunt quondam faciuntque beati,
 Id facit & fecit Christus & ipse Deus.
 Quin etiam Sancti faciunt, quæcunque per ipsos
 Äque facit, priimam causa secunda movet.
 Et nos quæ facimus, facitis quoque, sed tamen isthac
 Verè etiam facimus, quæ facit ipse Deus.
 Sic quæcunque homines faciunt, facit ipse per ipsos,
 Et quod causa facit prima, secunda facit.
 Dicere, sic falsum est, homines nil posse beatos,
 Cum vivi in terris plurima præstiterint?
 Si nondum Sancti poterant quoscunque juvare,
 Illorum peterent qui reverenter opem;

Quo-

Quomodo nil poterunt nunc omni ex parte beati?

Num Cœlum tollit, terra quod ipsa dedit?

An non Christus ait, qui credunt omnia possunt?

An non Christus ait, qui petit accipiet?

An non Paulus ait, per Christum se omnia posse?

An non in Sanctis mirus & ipse Deus?

Omnia sed quamvis possint præstare petenti,

Nil tamen ex propriis viribus, aut meritis.

Sed tantum Christo precibus tribuente beatis,

Omnia qui solus, datque potestque Deus.

Sicque rogando juvant, simuli impetrando quod orant,

Omnia dicuntur posse simuli dare.

Sic Petrus claudos, cœcos curavit & ægros,

Id tunc si potuit, nunc quoque posse puta.

Nam vires Cœlum non tollit, sed superaddit,

Nec vitam minuit vita beata poli.

Si tu aliter Sentis, de Sanctis Sanctorisque

Vel benè non Sentis, vel malè verba capis.

Discretum à vero est Sanctos quod qui oret, adoret,

Orare & Sanctos, esse negare Deum:

Non etenim Sanctos qui supplex orat, adorat,

Sed rogit ut secum, quem rogit ipse, roget.

Vnum namque Deum precibus concordibus orant,

Anne hoc est Christum, vel renegare Deum?

Et quæ ista est hominum Sententia fortè putantum

Quod rogitare Petrum, sit renegare Deum?

An negat is Christum, Petrum qui poscit ut ipsum

Et pro se Christum, quem rogit ipse, roget?

Estque hæc Sanctorum propriissima gloria, honorque, Iean. 14.15.

Vt quocunque petant, protinus accipient.

Matth. 21.

Marc. 9. 11.

Ioan. 24.

Pphilip. 4.

Psal. 67.

Aet. 3.

Quod

- Luc. 16.* Quodsi quæ poscis, subitò non accipis, ipsum
 Te diti reputa conditione parem.
 Qui licet oraret, Sanctosque Deosque vocaret,
 Atque adeò innumeris, flebilibusque modis :
 Non potuit Numen precibus, nec flectere divos,
 Et tu spretores, velle Juvare putes ?
 O te infelicem miserumque & fortè scelestum !
 An quoque de Sanctis dignus es ipse loqui ?
 Christus amat Santos, non curat amatve scelestos,
 An non per Santos multa stupenda facit ?
 Ergò si hos habeas, Christum quoque certus habebis
 Pro te, ne dubites, te quoque habere Deum.
 Sunt etenim juncti Christo, semperque manebunt,
 Nec sine sunt Sancti sanctificante Deo.
Objectio. Sed DICES : Sancti non nōrunt abdita cordis,
3. Reg. 8. Solus enim cordis cognitor ipse Deus.
Responsio. In vanum rursus loqueris : si namque reveles
 Verbo vel nutu cor, patet omne statim.
Quomodo Cūm Santos oras, quæ sunt in corde revelas,
Sancti, que Abdita sic cordis, noscere quisque potest.
in terra fi- Sed quamvis etiam taceas, nec voce reveles,
unt, cogno- Mille modis alijs noscere cuncta queunt.
scant? Omnia namque; Deo possunt pandente videre,
Quomodo Ceu sacri vates abdita cuncta vident.
Sancti co- An fortasse minùs Santos, quām posse Prophetas,
gnoscant? Persuasus credes ? nonne profana fides ?
Sancti om- Cumque Deum videant, in quo sunt omnia quæ sunt,
nia in Deo Quomodo non etiam cuncta videndo vident ?
vident. Res omnes Deus est, rerum speculumque refulgens,
 Hoc certè in speculo cuncta videre queunt.

Rur-

Rursus ab Angelicis cognoscunt mentibus illa,
Perque animas hominum, quae fuerant hominum.
Quarum perpetua est de terrâ ascensio ad illos,
Atque illi in terris sunt ubicunque volunt,
Hinc sæpere apparent, abscondita multa revelant,
Dicunt prædicunt, multa futura monent.

Litteræ erunt testes, quas vitâ functus Helias
Ad Regem Joram scripsit & admonuit.
Sic Samuel Sauli post mortem appareret, & illum
Increpat, objurgat, multa futura monet,
Verum si Sanctos, ut sunt, fateare beatos,
Hoc ipso affirmas, omnia Nossæ quoque.

Nam si nil nossent; Sancti nullatenus essent;
Quin potius Trunci, nec super astra forent.
Ecquid enim esse putas hominem super astra beatum?

Qui quae velle potest, illa & habere potest.
Jam quid velle potest si nil sciat? an quoque non scit,

Quae poterat nondum scire beatus humi?
Ipsa ergo in coelis perfectio plena requirit,
Ut sciat & possit cuncta beatus homo.

Nulla est Sanctorum, cuncta ignorantia nostra est,
Et modo quae nescis, post super astra scies.

Dic mihi, si cupias vel tu ipsemet esse beatus,
Si nil sciturum te super astra scias?

Sic Sanctorum forsæ statusæ miserrimus esset,
Si nihil humani plus, velut ante sciant?

An saltem fratres proprios, matresæ patresæ patresæ
Cernent, cognoscant, percipiantæ suos?

An fortasse minus cernent, facientæ beati,
Quam ille Gehennali dives in igne miser?

2. Paral. 19.

1. Reg. 28.

Luc. 16.

Qui

Qui Fratres novit, pro Fratribus atque rogavit,

Pro se quin etiam, nil tamen obtinuit,

Si verè id factum est, Sanctos probat esse rogandos,

Si non : res similem debet habere modum.

Objec^{tio}. Sed fors objicies ; sanctos orare, quòd orent

Pro nobis Christum propitiumque Deum ;

Non jussisse Deum, Sanctos fecisse nec ipsos,

Atque orare ipsum tutius esse Deum.

Respon^{sio}. Præcepisse Deum nulli docuere Fideles,

At si non jussit, nec tamen id vetuit.

*An Sancti
pro nobis
orent.* **Et quia non vetuit, faciendum cūiq; reliquit**

Liberum, & in proprio cūlibet arbitrio.

Verūm cur jubeat natura quòd indita dictat?

Quòd ratio suadet? Vita beata probat?

Sunt homines Sancti, sunt vivi, suntque beati,

Sunt justi, accepti perpetuoque Deo.

Sunt Fratres nostri, Cives, cognati & amici,

Nos miseri, de ipsis nec male promeriti.

Cur non orarent? cur non oremus & ipsos?

Quorsum mandatum quæris & Imperium?

An fortassè Deus jubeat cogatque rogare,

Quod tibi, non ipsis proficit atque opus est?

Si vis, siq; egeas precibus compelle Beatos,

Tu miser infelix, nemo beatus egis.

Commendare Deo te Sancti insydere possunt,

Tu, rogo, quid Sanctis proderis aut dederis?

Ergò penes nos est Sanctos orare quòd orent,

Sed penes est illos, si rogitare velint.

(res.

Non modò non quærunt, cupiuntvè, rogantvè, quòd o-

Quin etiam orati sàpè petita negant.

Exem-

Exemplo dives tibi sit s̄e p̄issimē diētus,
 Qui licet oraret, nil tamen obtinuit.
 A te, ne dubites, Sancti nihil usq; rogabunt,
 Tu verò cupies, si quid habere petes.
 Res tua non Sanctorum agitur, tu scandere ad illos,
 Non illi ad te descendere quippè petunt.
 Te sine semper erunt Sancti super astra beati,
 Tu miser in terrâ semper egenus eris.
 Ergò mandatum posthac non querito : si vis,
 Ora, si non vis, linque : quid indè rogo ?
 Consilium est, non est præceptum, nemo quod ores
 Cogit, si sapies, tu tamen id facies.
 Una est Nobiscum (ut nōsti) communio Sanctis,
 Si non orarent, mutua nulla foret.
 Ut Sancti ad cœlum quondam Christumq; venirent;
 Nos nostris votis Juvimus ac precibus.
 Cur illi immemores, ut nos veniamus ad ipsos,
 Non etiam orarent ? ora manusq; darent ?
 Jam verò Exemplum Sanctorum quale requiris ?
 An non Exemplum Dives is esse potest ?
 An non suppliciter pro seq; suisq; rogavit ?
 Nec tamen obtinuit ? styx quia causa fuit.
 Qui si vixisset sancte, in terrâq; fuisset
 Mortuus & vivus, promeruisse opem.
 Angelus (ut sacri tradunt, perhibentq; Prophetæ)
 Ad Christum nostras fert super astra preces.
 Jam quoque perspicuum est, homines orare vicissim,
 Qui necdum Sancti sunt, neq; fortè pij.
 Tu quoque quod Christus pro nobis ipsem̄ oret,
 Das & concedis : Nunc ita colligo.

*Exemplum
Invocatio-
nis.*

*Tob. 12.
Apoc. 5.*

Jacob. 5.

C

Si

Si mortalis homo Sanctis minor, Angelus ipsis
 Par, Christus major, pro te alijsqué rogant:
 Ex quānam causā Sanctos orare negabis?
 Præsertim de ipsis qui sumus id meriti?
 Si rursum dicas: Sanctos orare, fatendum,
 Non tamen orandos, hoc vetuisse Deum.
 Quām fallare vides: nam ullos vetuisse Prophetas,
 Vel Christum, falsum est, consuluisse patet.
 Sed nec adorantur, sed tantūm orantur, ut orent,
 Illud, non istud, pagina sacra vetat.
 Atqüe ex illo ipso, quia spontē precantur & orant,
 Orandos rectē dixeris esse quoque.
 Proptereā oramus, quia constat spontē rogare,
 Rivus hic ex illo fonte patente fluit.
 Hinc est damnati quōd non orantur ut orent,
 Namq; nec orati, nec quoque spontē rogant.
 Si tamen hos ipsis cum fructu orare liqueret,
 (Ut Sanctos aliā parte rogare liquet)
 Hos quoque, quis dubitet, simili ratione liceret
 Orare, ut peterent, quod quoque spontē petunt.
 Ergo quōd Sancti pro nobis spontē precantur,
 Nos, sequitur, rectē posse rogare quoque.

2. *Mach. 5.* Rursus & Onias, Jeremias atque Prophetæ
 Pro populo (ut perhibent Biblia Sacra) rogant.
 Quām quoque sollicitus fuerit pro Rege Prophetæ
 2. *Paral.* Mortuus Helias, Biblia dicta docent.
^{19.} *Baruch. 3.* Ut quoque defunctos Deus exaudire precantes
 Dignetur, Baruch nonne Prophetæ rogat?
Genes. 48. Imploretur, ait Sanctus Patriarcha Jacobus,
 A natis nomen, post mea fata, meum.

Sic

Sic quoque se memorem nostri fore , scribit apertè
Petrus post mortem , post obitumqüe suum.

2. Pet. 1.

Tum, Scriptura inquit , (post mortem nempè) petetis,
Et Pater effusas audiet ipse preces.

Ioan. 16.

Clamabunt (vates inquit) super astra Beati,
Anteà quām clament , audiet ipse Pater.

Christus ait Sanctis Patrem dare cuncta rogata,
At pro se Sancti , nil super astra petunt.

Ioan. 14.16.

Ergò rogare liquet Divos super astra rogatos,
Constat & audiri , constat & accipere.

Ergò dabunt pariter quòd habent , precibusq; juvabunt;
Tu modò quid facias , quid dubitesqüe , vides.

Alter ut alterutro pro oremus , ubiqüe monemur,
An non sunt homines , qui super astra sedent ?

Iacob. 5.

An non sunt Justi ? Sancti ? summèqüe beati ?
Cur rogo non rogitent ? Cur rogitare times ?

Cur Sanctos orare times trepidasqüe beatos ?
Cum vivos ores , terricolasqüe homines ?

Ut Sanctos divosqüe homines , memoresqüe juberis,
Non veluti Christum , vel rogitare Deum.

Dumq; rogas Sanctos , ut pro te scilicet orent,
Christum , non Sanctos sic rogitando rogas.

Sicq; vides cultum Sanctorum Numinis esse,
Nimirūm in cuius nomine cuncta petis.

Propterea ad Sanctos quæcunque oratio tendit,
Per Christum finit ; quod probat esse Deum.

Præterea Exemplum quia quærvis & exigis , orbem
Do totum , do omnes , sunt quot ubiq; homines.

Quotquot post Christum Christi vixere fideles,
Sic tenuere omnes , sic docuere Patres.

C 2

Ora

Ora pro nobis Laurenti Ambrofius orat,

Serm. 2. de Annuntiat. Sic Augustinus Sancta Maria juva
Fœmineum sexum devotum, Sancte Joannes

Ora pro nobis, Basilius rogat.

Petrum cum Paulo Chrysostomus & duodenam

Ecce rogat turbam & Discipulos Domini.

Victor Paulinus : Patriarchæ orate Prophetæ

Sancti pro nobis : quid rogo dicta volunt ?

Rampertus, Bernard, Damascus, Honotius atq;

Severus, Sanctus Zosymus, Hillarius ;

Sunt tot Concilia & veterum Patrum monumenta,

Nec non Sanctorum scripta probata tibi.

Quid nunc de divis & cultu quæso videtur ?

Annon fortè vides dogmata sancta Patrum ?

An sic persuasus teneas verumq; putares,

Tot sanctos Patres insipidos stolidos ?

Et te præ tantis, & tot præcellere solum

Sanctis, & Veterum dogmata falsa putas ?

Vni tercentum & plures postponere malles ?

O quænam hæc mens est ? quod rationis id ens ?

An proprium tantis Patribus præferre cerebrum ?

Incautusq; velis spernere Concilia ?

Jam cui non mundus satis est, satis esse nec ipsa .

Quam frustra jaëtat, pagina sacra potest,

Nam quòd sit Verbum Domini Scriptura, quis unquam

Nōsset, ni mundus diceret esse, rogo ?

Sacram hic Scripturam sacrosq; fuisse Prophetas

Testatur, si errat, quomodo certus eris ?

Ast si non errat, cur implorando beatos

Errasse affirmas ? nonne profana fides ?

Aut

Aut errare potest mundus credendo, docendo,
 Aut errare nequit: si nequit, ergo tene
 Quod docet & credit: si sic, nec credere Christo
 Aut verbo poteris: Cur ita? Causa patet:
 Nam quod sit Verbum Domini Scriptura sacrata,
 Ni mundo credas, non aliundè scies.
 Si mundo hoc credis, cur non & cetera credis?
 Si credis majus, crede perindè minus.
 Si sacrum quæras exemplum: attende rogantem
 In flammis ditem, nonne gemendo rogat?
 Nonne ad Abram clamat? clamantem nunquid & audit,
 Nec tamen exaudit? multa tamen monuit.
 En verum en vivum exemplum, si plura requiris,
 Ne forsan fias tu quoque tale, cave.
 Namque Deus reprobos, licet ipsi omnesque rogarent
 Ipsi pro Sancti, non tamen audit eos.
 Et modò quos spernis, ne postmodo seriùs ores,
 Prospiciendo vide, nam tua res agitur.
 Ergo consilio Sanctos meliore rogato,
 Ne post non possis, quando rogare velis.
 Nam sic non solùm Sanctos, sed habebis & ipsum
 Sanctum Sanctorum, propitiumque Deum.
 Nam tua & ipsorum Sanctorum oratio ad unum
 Et solum tendit, dirigiturque Deum.
 Et sic de nostris resoluta est quæstio Sanctis.
 Pergamus porrò ad cetera, Dive juva.

Iohann. 3,4.



C 3

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA. DE FESTIS.

*Sentent. Ac
cuboli.*

DE FESTIS, aiunt, sunt plurima pleraque nullo
Usu vel fructu, Pontificumque doli.
Ad confirmandos cultus, ritusque nefandos,
Multos non licitos sacrilegosque dies.
Præfertim Corpus Domini quod dicitur, in quo
Panis adoratur, ceu foret ille Deus.
Atque hoc dum faciunt, & panem publicè adorant,
Esse Deum dicunt Sacrilegi Artolatræ.
Quin quoque concelebrant(dictu mirabile) festum,
Quo cœlum ascendit Christus, & astra tenet.
Hæc qui conveniunt? hæc quomodo festa cohærent?
Si Christus sursum est, quomodo Christus humi est?
Si Christus sursum est, dic quâ ratione deorsum est?
Anne est & non est? talia Papa docet.
Tum quoque cur Sanctis Missæ, Aræ & festa dicantur?
Cur Sanctis Christi gloria, honorque datur?
Cur ea servantur, quæ vultque jubetque Minister?
Non quæ vult Christus festa, jubetque Deus?
Num major veteris forsitan Papatus habenda?
Quam ratio est Christi, verbi & Apostolici?
Pro Festis. Contra alius dicet: quorsum modo festa Sodales?
Omnes cum nobis sint, quasi festa dies?
Omne DEO soli festum templumque dicatur,
Omnis Missa DEI est, omnis & ara DEI est.
Nullum nec templum, nec Missa, nec Ara dicatur
Sanctis, nec Sancti talia festa petunt.
Sed quorsum Papæ causamus plurima festa,
Cum nullum prorsus jusserit ipse Deus?

S ab-

Sabbatha sanctifices dixit, non plura leguntur,
 Quæ Deus imposuit festa vel instituit.
 Cur quæ præcepit non servas; cœtera servas?
 Papæ nempè tenes festa diesque novos.
 Fortè putas Papam de Festis cogere quæstum?
 Sanctorum memores nos jubet esse Deus.
 Ut Laudes, ores, & Christum gratus honores,
 Et te sanctifices, festa statuta scias:
 Non ut cum vino, chartis aut Virgine ludas,
 Sed Christum & Sanctos cum pietate colas.
 De Festo Christi quod dicunt Corporis, atque
 Quo cœlum ascendit Christus, & astra tenet,
 Non est quòd quæras, quia quæstio pendet ab illa,
 Quam mox de Cœnâ subjiciemus huic.
 Nimirūm an panis sit panis, ut esse videtur;
 An verò corpus, verus itémque Deus?
 Et quia sunt multi, qui panem corpus, & ipsum
 Esse negant Christum, veridicūmque DEUM:
 Idcirco hoc festum summâ ratione statutum est,
 Quo protestamur publicè adesse DEUM.
 Non tantūm in cœlo, sed verè in Sacramento,
 Sicut habet Psalmus, Paulus, & ipse Deus.
 Sed de hac materiâ dicemus posteà plura.
 Jam nunc pergamus, si libet, ad reliqua.

Levit. 19.
 Deut. 5.

Hebr. 11.
 Eccle. 44.

Psal. 10.
 Ioann. 6.
 1. Corinth.
 II.

QUÆSTIO TERTIA. DE COENA DOMINI.

DE CHRISTI COENA quæramus, nūm sit in illâ
 Christus de cœlo, aut significetur eâ?

Ec

Et si sit verè, num sit cum pane vel **extra**,
Scilicet ad dextram stansque sedensque Patris ?

Pars Ne-
gativa. Quod non : indè patet, quia dèdecet, implicat, horret,
Manducare Deum, sacrificare Deum.

Esse, nec esse tamen (dictu mirabile) panem,
Nec Physicum Physico corpus inesse loco.

Tam parvo magnum Latitare in corpore Corpus,
Nullà mutatâ parte situq; sui.

Immotum cœlo descendere, scandere rursum,
Esse repente locis mille, sed absque loco.

Corrumpi, rodi, volitare per æthera & auras,
Nec quando abscedat scire, vel adveniat.

Ergò cum sensus, ratio, Scriptura, reclament,
Esse Deum panem, publicus error erit.

Pars affir-
mativa. SED CONTRA EST Christi clarum immutabile verbum,
Qui Panem corpus clamitat esse suum.

Non quodvis corpus, sed planè corpus idipsum,
Quod fuit oblatum, proque salute datum.

Est, non significat, dixit, quod porrigo, corpus,
Nec dixit Panem credite, at hoc edite.

Rursus, quod non sit, quem sensus judicat esse,
Panis, sed Corpus, verba diserta probant.

Si namq; est panis corpus, dic quomodo Panis ?
Et quisnam esse neget, ver' a quod esse sonant ?

Nec dixit Christus cum Pane, sub, inq; sed ipse
Quem trado panem, est corpus, & hoc edite.

Equis enim panem cupiat, Calicemq; fidelis ?
An non & Calicem & panem habet atque fidem ?

An modo non omnes edimus, bibimusq; simûlque
Credimus, & signum Corporis accipimus ?

Quor.

Quorsum ergò est edere aut bibere , aut discurrere mul-
 Si semper corpus credimus & bibimus ? (tùm?
 Ast agè, Responde, & qui reris te omnia scire,
 Et Verbum Domini , te penetrâsse putas.
 Si non est aliud (ceu credis & astruis) ipsum
 Mandere, quàm vestrum credere cum bibere :
 Ergò nec ipsum aliud dicendum est credere vestrum,
 Quàm (nimis absurdè) vestrum edere ac bibere.
 Rursus si sit idem quod credere, mandere vestrum
 Et bibere , ergò ipsum mandere erit bibere ;
 Ergò quisquis edet crederet, licet anser & auca,
 Quique bibet comedet , qui comedetq; bibet.
 Si nimis absurdè hæc creduntur , & objiciuntur,
 Hinc teneas verbum , crede quod esse sonat.
 Esse sonat corpus, non panem , vmbramvè, figuram,
 Aut nudum signum, nescio quemvè tropum.
 Si non fortè capis, vel sensu, percipis, ipsum
 Scito quòd debes credere , non capere.
 Non ratione fides, aut sensu aut experimento,
 Sed potiùs ratio nititur ipsa fide.
 Scire docet Physicus, sed solus credere Christus,
 Si credenda vides , non erit ulla fides.
 Hinc ea sunt Patrum verissima dicta sacrorum,
 Quid dentem & ventrem guttura & ora paras ?
 Crede & manducâsti ; non prodest caro quicquam,
 Sed qui vivificat spiritus , ille replet.
 Quæ vobis dixi de carne & sanguine verba,
 Non caro vel ratio, at spiritus illa capit.
 Sed modò significant Mysterium id esse tremendum,
 Solâ credendum mente , fidéque piâ

*Aug. in Ioan.
tratt. 26.*

Ioan. 16.

D

Non

Non hīc quārendum, quid sensus dicit, & ipsa
 Quid capiat ratio, credere sufficere.
 Spiritus est animus, ratio caro, sanguis & ossa,
 Spiritus ergō capit, quod caro nulla capit.
 Tu sed crede Dēo, nec quāras quomodo verum est,
 Ne perdas, nimiā cum ratione, fidem.
 Si durum est, panem quem cernis; credere corpus,
 Duriūs hoc corpus creditur esse Dēus,
 Hoc si tu credis, cur illud credere non vis?
 Si credis majus, crede perindē minus.
 Esse Dēum corpus mortale, est credere majus,
 Quām panem corpus: fecit utrumque Dēus.
 Proptereā aut neutrū, vel crede fidelis utrumque,
 Ne tua credulitas tota sit impietas.
 Si verba ex verbis alijs moderanda putaris,
 Nulla dabis istis lucidiora magis.
 Et te seduces proprio (quācunque putaris)
 Judicio, ac Christi verba tua esse facis.
 Nulli sic Patres, nulli docuēre fideles,
 Quod semper tentum est, tuque tenere potes.
 Hoc ita firmato de corpore nempē reali
 Præsenti in specie, verbo operante sacro:

QUÆSTIO QUARTA. DE TRANSUBSTAN- TIATIONE.

Contra
 Transub-
 stantiatio-
 nem.
Matth. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.

QUÆRITUR An corpus maneat cum pane, vel ipse
 Panis sit corpus, sanguis & ipse calix?
 Quòd maneat panis, visus testatur & esus,
 Et panem Christus sæpius ipse vocat.

Sic

Sic Paulus pariter: Patres, constare duabus
 Naturis cœnam, passim & ubique docent.
 Corpore cœlesti nimirūm & pane, meroque
 Terrestri junctim, quæ sacra perficiunt.
 Sicut & in sacro Baptismate gratia & unda,
 Cernitur ista patens, creditur illa latens.
 SED CONTRA EST CHRISTI clarum inviolabile verbum,
 Qui panem corpus clarè ait esse suum.
 Si panis corpus, non ergò est panis ut ante,
 Panis erat fateor, sed modò corpus is est.
 Non signum dixit præsentis sive latentis
 Corporis est, corpus dixit, & exhibuit.
 Non dixit Christus cum pane, sub, inq; sed ipsum hoc,
 Quod trado, est corpus: crede, nec adde aliud.
 Si non est panis, cur panem dicis, & addis,
 Addere quod verbo noluit ipse suo?
 Si dicas: panem dixit, non esse figuram,
 Vel speciem panis: panis hic ergò manet.
 Scilicet argutè: quasi panem dixerit esse
 Panem, vel quòd sit panis, ut ante fuit.
 Nec dixit speciem panis, quam cernimus, esse
 Corpus, sed panem quem dedit, & tenuit.
 At longè est aliud substantia panis, & ipsa
 Quam cernis, species panis, & effigies.
 Hæc patet, illa later, hæc creditur, illa videtur,
 Quod Christus dixit, credimus haud aliud.
 Panem non speciem dixit, panisqüe figuram
 Esse suum corpus, transit is, ista manet.
 Si panis corpus verè est, tunc fiat oportet
 Corpus, nec maneat panis, ut antè fuit.

*1. Corinth.
II.*

*Pro Trans-
substant.*

Objectio.

Responst.

D 2

Et

Et quia non dixit formam, panisque figuram
 Esse suum corpus : forma proinde manet.
 Ergo, si Christo credis, substantia panis,
 Non autem species extera, corpus erit.
 Et sic quod cernis, species est panis, at ipsum
 Quod credis Christi est corpus ; & hoc satis est.
 Et panem dixit, quia panem sumpsit, & ipsum
 Fregit, porrexit verba sed ante sacra.
 Postquam autem dixit, panem non esse, sed esse
 Corpus, jam corpus crede, nec esse aliud.
 Ergo velut nosmet panem quoque dicimus ipsi,
 Sic panem Christus, Paulus itemque vocat.
 Et panem dicunt, quia panis ut ante figuram,
 Et speciem retinet, post, velut ante suam.
 Sic sonat & verbum, quod sumitis atque videtis,
 Est corpus, non cum corpore vel calice.
 Sic Christus vitis cum dicitur esse, vel Agnus,
 Absurde vitem dixeris esse & ovem.
 Nec mihi tu Sacram cum ipso baptismate sacro,
 Contuleris cœnam, res ea longe alia est.
 Longe aliter veteres intellexere fideles,
 Longe aliter veteres prædocuere Patres.
 Nec dixit Christus quod gratia sacra sit unda,
 Quodve suum corpus sit fluvialis aqua.
 Tu ne quidquam addas, dicasque quod ipse nec addit,
 Nec dixit Christus, nec docuere Patres.
 Qui speciem panis, panem sæpissime dicunt,
 Sicut nos ipsi dicimus esse quoque.
 Et tamen haud panem, sed corpus credimus esse,
 Dic panem sensu, corpus at esse fide.

For-

Forma ergò panis , substantia nulla videtur,
 Quod credis , non quod cernis , habere cupis .
 Ergò simpliciter credas , non quomodo quæras
 Id fieri possit : scit Deus ipse modum .
 Una & sola fides , non ulla scientia salvat ,
 Credere , non autem lex sacra scire jubet .
 Hinc certò inferimus , nec fas dubitare cuiquam est ,
 Non cum pane Deum , sed magis esse Deum .
 Et cùm sit corpus , non panis , qui esse videtur ,
 Nec panem aut speciem panis , ab orbe coli ;
 Sed tantùm Christi venerabile corpus : & ipsam
 Externam speciem panis , obesse nihil .
 Nec solum crimen venerando admittere nullum ,
 Si quis adorat eum ; sed magis oppositum .
 Nam Christi corpus venerandum semper ubique est ,
 Dummodo sit præsens , hic velut esse liquet .
 Impius ergò ille est , qui præsens credit adesse ,
 Nec tamen , ut par est , debito honore colit .
 Ergò errant pariter Calvinus & ipse Lutherus ,
 Alter adesse negans , alter honorem adimens ,
 Is magis infelix , qui verè credit adesse ,
 Nec tamen , ut par est , debito honore colit .
 Scilicet absentem veneratur , adorat , & orat ,
 Præsentem coram negligit , atque terit .
 Nunquid enim Christus non est venerandus ubique ? Matth. 4 .

Aut honor insequitur corpus ut umbra suum ?
 Cur magis in cælo , dic , quam veneraris in arâ ?
 Cùm præsens verè sit sub utroque Deus ?
 An si Turca DEUM præsentem crederet ut tu ,
 Præsentem coleret , Vota precésque daret ?

D 3

Et

Et demus (falsum modò quod tamen esse probatum est)
 Esse sub, in, vel cum pane, sequetur idem.
 Nam si cum pane est, velut esse fateris, in ipso
 Cur non, ut par est, debito honore colis?
 In quocunque loco Deus est, venerandus in illo est,
 Corpus, non etiam tu venerare locum.
 Hinc Calvinistæ rident meritóque Lutherum,
 Qui non, quod credit, corpus adesse colit.

QUÆSTIO QUINTA. AN CORPUS CHRISTI SIT EXTRA ESUM?

Objectio. Sed dicut nobis, qui miscent omnia Rixis,
SExtra Esum nullum corpus adesse Dei.
Responsio. Sed contradicunt sibimet, qui talia dicunt,
 Nam si non extra est corpus, ut esse volunt,
 Quomodo sub pane est? nùm differt panis ab eſu?
 Panis, si in pane est, ante sit Esum opus est,
 Nam panem sequitur (nisi fallor) & usus & eſus,
 Si prior est panis, corpus eritque priùs.
 Namq; unum absque alio non est, nec creditur esse,
 Posterior verè hic usus & eſus erit.
 Et panem dixit, non usum panis & eſum
 Esse suum corpus, cur aliud loqueris?
 Jam quoque nec panis, nec corpus pendet ab Eſu,
 Quæ licet haud comedas, sunt tamen atq; manent.
 Si sunt, siq; manent absque usu eſuq;ue, quid ergo
 Extra usum aut eſum corpus adesse negas?

Et

Et cur non panem talem, sub quo esse fatentur
 Corpus, demonstrant, sicut ubique crepant?
 An talem nobis, si verè ostendere possunt,
 Extra esum verè corpus adesse dabunt?
 Cur tanto Papam rident damnantque cavillo,
 Dùm talem ostendit semper, ubique colit?
 Rursum: si non est extra usum corpus & esum,
 Causa ergò efficiens corporis, esus erit.
 Ast hoc quis sanus dicat? nam nì foret ipsum
 Ante esum corpus, nec foret esus item,
 Namque ideò hunc panem cupimus, quia corpus inesse
 Credimus, absque illo mandere nemo cupit.
 Solùm ergò causa est, verbum, quod dicitur ante
 Hunc esum, & verum est, ante, manetque simul.
 Si postquam dictum est, verum est, & dicitur ante
 Esum, ergò ante esum tum quoque corps erit.
 Ast age, cùm talis tibi dat, præbètque Minister,
 Hunc panem, dicens, accipe, corpus id est.
 Anteà quām sumas subsiste parumper, & ipsum,
 Num verum aut falsum dixerit, ante roga.
 Si verum dicat; falsum tibi dicat oportet,
 Extra esum, nullum corpus adesse, tuum;
 Namque quod in manibus tenet, est, & dicitur esse,
 Ante esum corpus; quomodo id ergò negat?
 Ergò si verum dicit, contrarius audit,
 Dum verum affirmat, quod tamen esse negat.
 Si dicat panem nondum esse, sed esse futurum
 Corpus in ipso esu, stansque tenénsque manu:
 Sic contradicit rursum, dum dicit id esse,
 Quòd tamen esse negat: tu modò Judicem age.

Objectio.

Responsio.

Si

Si dixit verum, incautus reperitur apertè,

Si falsum dixit, rursus ut ante manet.

Objec^{tio}. Si dicas, verum dicit, quia dicit id ipsum.

Quod tenet in manibus, quodque daturus erit;

Esse DEI corpus, sed ad usum esumque paratum,

Qui nisi succedat, jam neque corpus erit.

Responsio. Atqui hoc nec Christus dixit, nec dixit id ipsum,

Ipse, quid ergò docet, si nec id esse docet?

Est corpus dixit, non dixit fieri in esu,

Aut nisi sumperferitis, jam neque corpus erit.

Hæc non sunt Christi, sunt addita verba Lutheri,

Verba DEI maneant, cætera dispereant.

Objec^{tio}. Sed quærunt: alium nūm Christi corpus ad usum,

Esum quām propter sit, fuerítque datum?

Responsio. Esto, quid indē infers? nūm forsitan inde sequetur,

Non esse extra usum? sera sequela nimis.

Dic etiam an aliud non est formatus ad usum

Vel finem panis, quām quòd edatur item?

Aut ideò panis non est, si protinus Esus,

Aut etiam nunquam fortè sequatur, erit?

Sic Caro, sic Vinum, sic cœtera cuncta creata

Propter sunt usum, sunt tamen atque manent,

Quantumvis nullus successerit usus & Esus:

Res namque est usum, quælibet ante suum.

Omne quod est aliud propter, supponitur esse,

Nec res est usus, ceu patet, ulla suus.

Ergò finalis tantummodo Corporis esus,

Formalis non est causa, nec efficiens.

Sanctum ergò Corpus disjunge à Corporis usu,

Sic dabis extra Esum Corpus adesse suum.

Exem-

Exemplo est panis, quem dixi, materialis,
 Esum qui propter, fitque daturque suum.
 Est tamen atque manet, licet usus nullus & esus
 Succedit, causa est, quae modo dicta quoque.
 Namque rei finis non dat formale, nec auffert,
 Res sic tota manet, sed sine fine manet.
 Sic quoque quantumvis sit Christi Corpus ad usum,
 Quamvis non comedas, est tamen atque manet.
 Est corpus sane per se venerabile semper,
 Atque est ut comedas; est tamen antequam edas.
 Vis ? ede: si non vis ? fine, sumer dignior alter,
 Est tamen: atque ideo est, ut reverenter edas.
 Cur non esse doces, quod manducare recusas ?
 Si non est corpus, quomodo corpus edes ?
 An ergo oppositum verum est, quod & esus & usus
 Sit propter corpus ? quodque sequatur idem ?
 Nam nullum corpus si sit sub pane, tametsi
 Esse potest usus, nullus at esus erit.
 Hinc sic colligimus: si constat corpus adesse
 Ante extraque usum, sicut & esse liquet.
 Ergo asservari poterit reverenter ad esum,
 Ostendi, ferri, de manibusque dari.
 Quin circumferri per tempла, per arva, per Vrbes,
 Sicut gestatur, cum datur, in manibus.
 Ast dicunt: Christus cum se praeberet in ipsa

Objec*tio.*

Cœnâ, non dixit, sumite, corpus id est:
 Spectatum populo circumestate per Vrbes,
 Deferte infirmis, sacrificate Diis:
 Aut colite, aut templis servate, serate, levate,
 Sed dixit clare, sumite & hoc edite.

E

At

Responsio. At quæ est ista, rogo, responso digna sequela?

Non jussit Christus, non licet ergò mihi.

An si non fieri voluisset, tunc vetuisset?

An ergò fieri vult, quia non vetuit?

Nec panem jussit servare, recondere, ferre,

Pectore sed grato mandere quotidiè.

Aut ideo panis non est servandus ad eum?

Aut si servatur, definit esse quod est?

An non est panis, qui circumfertur in urbe?

Aut qui servatur, conditur inq; penu?

Deut. 8. Manna Deus quondam populo concessit ad eum;

Hebr. 9. At fuit hæc sacri Manna figura cibi.

Matth. 4. Sic quem turba sequens Christum consumpsit, & alter,

Luc. 9. Quem non absumpsit, panis uterque fuit.

Marc. 6. Quin quoque Reliquias panis fragmentaque jussit

Ioan. 6. Servare, hæc Cœnæ nempè figura fuit.

Ergò cur corpus, quo ad usum (ut dicas) & eum

Concessum à Christo est, non remanere doces?

An non culpa tua est? cur clamas corpus abesse?

An si corpus abest, tu neque corpus edes?

Non tu, sed verbum facit immutabile corpus,

Si vis, gratus edas, si minùs, alter edet.

Propterea servatur enim, ut si fortè quis illud

Manducare petat; protinus inveniat,

Jam quoque servatum, sempérque fuisse, probatur

Prisorum exemplis, pluribus atque libris,

Id monstrant veteres aræ, sacraria, templa,

Sic esse extra usum corpus & ora; patet.

In primis quondam sæclis, cùm nullus ubique

Christigenūm fidei tutus ab hoste fuit;

Rectè Sacraenta domus servabat in Arcâ,

Ut priùs acciperet, quām hostis eum arriperet.

QUÆSTIO SEXTA. DE UTRAQUE SPECIE SACRAMENTI.

JAm quóque de specie quæramus utrâque, vel unâ,
 Cur unam tantum, non dat utramque simul ?
 An Deus instituit, dedit, & dare jussit utramque ?
 Cur iussa infringit Papa suprema DEI ?
 Cur testamentum violat ? Christique cruorem
 Furatur populo ? præcipit at Monachis ?
 Cur mutat cœnam ? cur solvit corpus ab ipso
 Sanguine, cur Christum dividit atque secat ?
 An non & Paulus porrexit utramque Corinthi ?
 An non discipuli, sicque dedere alij ?
 An non & Græci cuncti, multique Latini,
 Cum fructu speciem debito utramque probant ?
 Cur privat populum pretioso sanguine Christi ?
 Pro cunctis fusus, qui fuit atque datus ?
 An non expressè dixit, bibitemus ut omnes,
 Cur hic, quod Christus vultque jubetque, vetat ?
 Quod non instituit, quod non dedit, imò quod olim
 Expressè vetuit Christus, id iste facit.
 Quod verò fecit, fierique per omnia jussit,
 Hic Antichristus non facit, imò vetat.
 Cur spreto exemplo, jussuque atque ordine Christi,
 Quod vult, spontè facit, ludificatque homines ?
 Quin Papâ testante alio, veterique probatur
 Sacrilegus, speciem quisquis utramque vetat.
 Sic námque expressè vocat ipse Gelasius illum,
 Unam qui speciem separat à reliquâ.

*Pro utraq.
sententia Ac-
catholico-
rum.*

*Luc. 26.
Marc. 16.*

Sacri-

*De Conſe-
cret. d. 2. C.
comperimus.*

*Resp. pro
unā ſpecie.*

*Rom. 14.
1. Cor. 6.
Hebr. 13.*

Sacrilegium ſcelus eſt, inquit, Mysteria ſacra
 Dividere; aut nulla, aut integra percipient.
Quæſtio de lanâ (quòd dicitur) iſta caprinâ eſt,
 Ecquid enim prodeſt mandere, vel bibere?
 Non etenim regnum cœlorum eſt potus & eſca,
 Sed Christus, verus vivificusque Deus,
 Aut forſan ſpeciem panis & viniqüe ſaporem,
 Non rem contentam, quærimus in ſpecie?
 Si vinum quæris, panemqüe, quid, obſecro, quæris,
 Vel quid conquereris? numquid utrumque tenes?
 Si corpus quæris Domini, ſacrumqüe cruorem,
 Quantumvis velles, diſſociare nequis.
Unicus eſt Christus, ſpecie ſub quālibet idem,
 Integer & totus manditur, & babitur.
Ergò ſive unam ſpeciem, ſeu ſumis utramque,
 Semper idem ſumis, plūſque minūſque nihil.
Quorsum ergò ſpeciem cauſaris utramque vel unam?
 Nūm forſ te species ulla beare potest?
Ipſum ſi Christum teneas cum ſanguine totum,
 Quid, rogo, plus quæris? quid rogo conquereris?
 Et dic ſub ſpecie calicis quid ſumis? eundem
 Christum, ſub ſpecie quem quoque panis habes.
 Postquam igitur totum Christum cum ſanguine in unâ
 Sumis, dic species quid faciat calicis?
 An forſan vinum? quorsum? nūm vina, vel ampla
 Unde bibas deſunt vitra? quid ergò petis?
 Eſt diversa calix species à pane, ſed idem
 Christus, non fractus, ſic ſub utrâque latet.
Ni malè persuasus ſpecie fortassis in unâ,
 Corpus adesse quidem, at ſanguinem abeſſe putes?

Aſt

Ast error gravis hic foret, & blasphemia summa:

Namque extra corpus sanguis abesse nequit.

Aut ergò in specie panis, cum sanguine totum,

Aut nullum Christum sumis: & ecce satis.

Qui plus à nobis quàm Christum sumere poscit,

Is nimium poscit, quod dare nemo potest.

Nos etenim nullum scimus sine sanguine Christum,

Tu si aliter credis, non benè crede, capis.

Dices: cur ergò instituit? jussicqué? deditque?

Objectio.

Tunc quia sic potuit, debuit & voluit.

Responso.

Nunc id non posset nec vellet, nec velut antè

Deberet, prorsus nec velut ante, daret.

Causas tunc habuit, quæ cessavère peractā

Cœnâ: Nunc unam, non daret ipse duas.

Nam tunc non fuerat (velut est modò) languis ab ipso ^{Causa pri-}

Corpore, divelli tunc, poteratque pati. ^{me.}

Nunc immortalis totus, vel nullus in unâ

Sumitur, utrâvis sic opus est minimè

Tunc sanguis solus poterat sine corpore sumi,

Nunc impossibile est; causa proindè subest.

Tunc se mortalem voluit testarier orbi,

Qualiter & paulò pòst moriturus erat.

Corpore nimirùm divulso à sanguine verè,

Hoc, dupli specie, dicere tunc voluit.

Nunc id cùm fieri non ultrà possit in ævum,

Unam, non iterum Christus utramque daret.

Nunc ergò una datur, quia vivus Christus & unus,

Atque indivisus sanguine, carne, animâ

Creditur à cunctis, ne solùm fortè sub unâ,

Absque cruce sacro corpus adesse putas.

Nunc

Nunc ergò sanguis, cùm non minùs integer unâ,
 Quàm sub utrâque datur, cur opus est calice?
 Si jam sumpsisti totum cum sanguine Christum
 Unâ sub specie, quid petis à calice?
 Ast verò (ut video) calicis, non sanguinis usum
 Expetis? at quorsum? sanguis in ore tuo est.
 Cur tibi tâm vano quereris clamore cruorem
 Afferri sacram? cùm nec id esse queat.
 Ecquis enim sacram de Christi carne cruorem
 Separet? aut neutrum, aut sumis utrumque simul.
 Nûm, censes, Christus rursum moriatur ut antè?
 Sanguinem & effundat ceu priùs in calicem?
 Error Blasphemus, Christum velut antè trucidans,
 Vel totus Christus, vel modò nullus adest.
 Unus sit Christus, species sit & una deinceps,
 Ne propter species discrepet ipsa fides.
 Nec solùm corpus sine Sanguine adesse putetur,
 Divisusqúe suo à Corpore Sanguis item.
 Ac propter Calicem perdas omnino cruorem,
 Et tandem veram, vivificamqúe fidem.
 Rixoris nostris velut evenisse Tropistis
 Et Calvinistis conspicis ipse satis.
 Qui propter calicem totum amiseré cruorem,
 Ac solas species absque cruore tenent.
 Ac nec de Christi contendunt Sanguine, sive
 Corpore, sed tantùm de specie & calice.
 Causam unam audisti, speciem cur Christus utramque,
 Non unam dederit: si libet audi aliam.
 Christus non solùm voluit se ostendere mundo
 Mortalem, fuso Sanguine per species:
Sed

*Secunda
causa.*

Sed quoque Pontificem, proprioque in Sanguine veram
Victimam, ut à Priscis concelebrata fuit.
Et quia Priscorum, quæ præcessere figuræ,
In dupli*c*i fuerant ordine vel specie.
Quædam, quas Moyses statuit juxta Ordinem Aaron
In carne, effuso sanguine Mosaicæ.
Quædam Melchisedech quas Rex, idemque Sacerdos,
In Pane & Vino tum obtulit antea diu.
Idcirco ut veterem compleret ritue figuram,
Debuit in Cœnâ Christus utramque dare.
Quâ semel impletâ (nisi significare velimus
Nos quoque quod fecit) desiit ipsa quoque.
Hinc patet in Cœnâ quod verè se obtulit olim
Patri, dum speciem Christus utramque dedit.
Nam si, ut Melchisedech verus rituque Sacerdos
Illi*s* est Christus, sicut & esse liquet;
Concedas opus est, quod is obtulit, ipse vicissim
Obtulerit, Panem scilicet & calicem.
Nam si Scripturis, & Christo credimus uni,
Et fieri & facere id debuit ipse quoque.
Namque omnes, certum est, Scripturas atque Figuras
Implere in terrâ debuit, & voluit.
Si Typus ergo fuit Christi Rex ritue Sacerdos,
Est opus implerit Christus & ipse typum.
Ast ubi tractârit panem, vinumque Sacerdos
Christus, si Cœnam, non dabis, excipias.
In cruce, si dicas, id quod compleverit; erras.
Non is Melchisedech: Ritus Aronis erat.
In cruce duntaxat tunc sacra cruenta peregit,
Non quæ Melchisedech Rex prius obtulerat.

Hebr. 5. 7. 8.
9. & 10.

Gen. 14.
Matth. 5.
Luc. 24.
1. Cor. 10.
Hebr. 10.

Matt. 5. 26.
Luc. 4. 24.
Ioan. 1. 7.
10. 19.
Act. 1.
1. Cor. 10.
Hebr. 10.

In

In Pane & Vino est, non est in Sanguine Ritus
 Melchisedech, Cœnæ hic, sed fuit ille crucis.
 Rursum: si Christus verè estque manetque Sacerdos,
 Ceu Rex Melchisedech Ordine perpetuò:
 Heb. 5.7. Omnis at (ut Paulus vult) debet habere Sacerdos
 Munera, quæ statuat, sacrificetque Dominos.
 Ergò perpetuus cùm sit maneatque Sacerdos,
 Quæ quoque sacrificet, semper habebit idem.
 Jam mihi (si panem excipias vinumque) Sacerdos
 Munera, dic Christus quæ rogo sacrificat?
 Quòd si fortè precum, laudis, cordisque vel oris,
 Aut etiam fusi sanguinis esse velis.
 Jam mutas ritum, cuius gerit ille figuram
 Melchisedech, panem qui obtulit atque merum.
 Ergò si verum est, quod cuncta in sacerdos
 Christus, sit ritu ac ordine Melchisedech;
 Semper sacrificet panem, vinumque necesse est,
 Sic Missam, & speciem cernis utramque simul.
 Ast nobis satis est quod manducemus in unâ
 Totum id, præsbyteri quod sub utrâque litant,
 Sumptio nos tangit reliquos, oblatio Christi
 Præsbyteros, unum sumit uterque tamen.
 Unâ sub specie Christum si sumis, utramque
 Cur quæris è quorsum sollicitas calicem?
 Si totum Christum cum sanguine sumis in unâ,
 Quid dabit, aut quid plus proderit ipse calix?
 An quod habes, justè quereris tibi fortè negari?
 An quod in ore tenes, te nec habere vides?
 Unâ sub specie Christum cum sanguine totum
 Sumis, nec vinum plus dabit aut species.

Sed

Sed quæris : Christus cur non porrexerit unam ?
 Quin dedit, & pariter jussit utramque dare ?
 Cur dederit, dixi, non usum propter & esum,
 Sed propter veterem, Melchisedechque typum.
 Atque etiam ut formam sacrandæ utriusque sequentes *Tertia causa.*
 Præsbyteri nōssent, quandò necessè foret.
 Nam non astruitur sic una, quòd utraque nullo
 Tempore, vel casu possit & ipsa dari ;
 (Námque dari, quondamq; datam sāt constat utramque,
 Sed quo cum fructu constat itemque satis)
 Non ergò quæras dederitnē Christus utramque,
 Aut etiam Paulus : scimus , itemque damus.
 Sed quo cum fructu dederint, cur , quomodò , quandò,
 Et quibus ? an præstet nunc quoqué utramque dari ?
 Non ita sunt obiter Christi tibi verba profunda,
 Factaque tām sicco prætereunda pede.
 Res gravis & magna est, perpendere multa necesse est,
 Primò cur dederit Christus utramque simul ?
 Causas audisti : quoad esum sufficit una ,
 Altera si accedit, nil dabit ulterius.
 Sed mihi bis senis dic cur tantūmodo missis
 In mundum, haud alijs Christus utramque dedit ?
 Nam quamvis plures in Cœnâ hos præter adessent,
 Bis senis tantū, non dedit hanc alijs.
 Si voluit cunctos (ut dicunt) sumere utramque
 In Cœnâ, cur non omnibus ipse dedit ?
 Cur non & Matri (de quâ cum sanguine corpus ,
 Quod dedit assumpsit) gratus utramque dedit ?
 Ergò cùm nullis , nisi paucis tunc dedit ipse ,
 Esum quis propter credat utramque datam ?

Interroga-
tio.

Responſ.

Objec^{tio}. Si contra opponas: Reliquis neque præbuit unam,
Ergo nec una quidem percipienda foret?

Responsio. Falleris: in Cœnâ dixi non præbuit unam,
Námque extra Cœnam præbuit indubie.

Atque attende parùm: in Cœnâ dat utramq; , nec extra,
Tantùm & bis senis discipulisque suis.

Cur his? non reliquis? cur tantùm præbet in ipsâ
Cœnâ? non extra? causanè nulla subest?

At causam dixi: quoad esum sufficit una,
Ob causas alias, tunc dedit ipse duas.

Utraque nil confert tibi plûs, nisi fortè figuram;
Ex Christo fructus, non fluit ex specie.

QUÆSTIO SEPTIMA.

UTRUM CHRISTUS UNAM DEDERIT SPECIEM?

JAm quoque quòd Christus reliquis porrexerit unam,
Verùm extra Cœnam: quis neget aut dubitet?

Luc^r, 24.
Unam quippè dedit, panem cùm fregit in Emaus,
Hæc panis sacri fractio, Cœna fuit.

Sic sancti docuère Patres, tenuère fideles,
Et Christi præsens actio tota probat.

Concio præcessit sacra, post esumque secutum est
Miraclum, similis fractio panis erat,

Quæ fuit in Cœnâ; Nam cognovère repente
Frangentem panem, quo quoque sunt fruiti.

Nul-

Nullibi namque sacram viderunt frangere panem,
Præterquam in Cœnâ, par fuit ergo cibus.

Sic etiam Paulus, qui solus utramque Corinthis,
Unam Trojadibus contulit, atque dedit.

1. Corintb.

11.

Act. 20.

Sabbatho enim fregit panem: sed fractio panis,
Est corpus Domini, prædicat atque docet,
An non panis, ait Paulus, quem frangimus, ipsum
Est corpus Domini? quid petis ulterius?

1. Corintb.

10.

Jam præter Paulum non assignaveris ullum
Discipulum Christi, qui calicem dederit.

Panem fregerunt reliqui credentibus omnes,
Nulla sacri calicis mentio, nulla meri.

Act. 2.

Jam quid Apostolici panis sit fractio, Paulus
Sat clarè, ut dixi, dixit & explicuit.

Sicque vides Christum extra Cœnam non minus unam,
Quam priùs in Cœnâ distribuisse duas.

Nec plus in Cœnâ, quam post largitus in unâ est,
Se dedit, ac aliud tunc dare non potuit.

Si dicas: Christum jussisse, bibamus ut omnes,
Ut recte capias, verba citata notes

Objectio.

Primò: non jussit, sed tunc, ut dixit, ibidem,
Alter ut alterius ceu lavet ipse pedes.

Responsio.

Dixit, non jussit, quamvis videatur id ipsum
Mandare expressè, ceu quoque verba sonant.

Spectanda hic causa est, & circumstantia verbi,
Tunc opus id fuerat, quod modò non opus est,

Sique bene attendas, ad solos dicta videbis
Verba ea discipulos; actio ut ipsa probat.

Nämque bibisse omnes eadem scriptura notanter
Subdit, ne reliquos forte bibisse putas.

Marc. 14.

Omnis bis senos tantum notat, hosque bibisse
 Omnes, non alios constat, & indubium est.
 Ac mirum sanè, nec res credenda fuisset,
 Si cunctis dixit, sique dari voluit;
 Quod tunc non cunctis præsentibus ipse dedisset,
 Verum bis senis discipulis Domini.
 Si reliquis pariter dixit, cur non dedit illis?

Luc. 10.

Complures alios jam tunc habuisse notatur
 Discipulos Christum, discipulasque alias.
 Si cunctis dixit, cur non porrexit & istis?
 Ergo Sacerdotum Mystica Cœna fuit.
 His solis dictum est, bibite, ut Mysteria Missæ,
 Munera Melchisedech, esse sacrata scias.

Gen. 14.

Ergo quid querunt alij? quid quoque queruntur?
 Illis cum calicem nec Deus ipse dedit?
 Quin quamvis omnes etiam tunc discubuissent
 In Cœnâ, nullis ipse dedisset item.

Luc. 22.

Rursus: cum panem Christus dedit, inquit ad illos:
 Hoc facite, at calicem cum dedit, id tacuit.
 Nec Paulus dixit, faciatis, sed facietis,
 Id cum feceritis: quod quoque nos facimus.
 Nam quoties calicem, & speciem tractamus utramque,
 Et crucis, & Christi commemoramus opus.
 At non propterea præbere jubemur utramque,
 Cum quoque dum panem frangimus, id facimus.
 Diversa est ergo ratio speciei utriusque,
 Quam non simpliciter Paulus habere juberet.
 Jam quoque si finem spectes, fructumque peractæ
 Cœnæ, in quâ paucis Christus utramque dedit;

Unam

Unam perspicias hominum satis esse saluti,
Nec dare plus aliam, quam dat & una quoque.

Unica largitur totum cum sanguine Christum,
Et vitam æternam: quid petis ulterius?

Qui manducat, ait, panem hunc, cælesteq[ue] Manna, Ioann. 6.

Vivit in æternū: quid dabit ergo calix?

Si quid diversum, dic quid? si prorsus id ipsum,
Cur calicem quæris? quid rogo conquereris?

Si rursus quæras, speciem cur Christus utramque
Præbuerit, prodest si nihil ipse calix?

RESPONSUM est supra, non propter Sanguinis usum: Responsio.

Cum Sanguis nunquam à corpore abesse queat,
Sed propter causas, quas dixi, nempè figuram,

Scripturam & formam, Sanguinis atque typum.

Has propter, calicem si tu quoque sumere quæris,
Non rem, sed speciem quæris habere rei.

Nos è diverso speciem non quærimus ipsam,
Sed rem contentam, corpus: & hoc satis est.

Quisquis enim Corpus Christi reverenter in unâ
Sumpserit, is sumit, quidquid habere potest.

Nempè animam, carnem, corpus cum sanguine Christi,
Et vitam æternam: nil petit ulterius.

Ast age qui semper calicem, speciesq[ue] perurges,
Quem fructum peperit, dic precor usq[ue]; calix?

An non cum calicem Christus daret ipse, suborta est
Lis inter Fratres? sumptio digna minùs?

Pars contendebat de Christi culmine Regni,

Tradidit unus eum, deserit alter eum,

Omnes qui biberant, illo fugere relicto
Omnes, An Christum qui bibit ille fugit?

Objectio.

Responsio.

Luc. 22.

Ioann. 13.

1. Cet. II. Sic Paulus Calicem cùm præbuit ipse Corinthiis,
 Ebrius unus erat, sobrius alter erat.
 Dissidium, rixæ, mala scandala, Schismata, Sectæ;
 Quin morbi, & mortis poena secuta fuit.
 Cerne parùm & Græcos, calicem qui semper & ipsi
 Potârunt, fructum quem retulere precor?
 Semper Schismatici, semper de Corpore Christi
 Avulsi, Turcis deniq; præda feris.
 Quamvis nec Græci quondam docuere, nec ulli,
 Quòd species contra Iussa sit una Dei.
 Unam non vetuit, sed nec præcepit utramque,
 Una magis semper profuit, & placuit.
 Unam nec speciem unquam Ecclesia sancta probâsse,
 Una saluti hominum nî foret ipsa satis.
 Si libet, & nostra hæc Rixarum tempora plena
 Inspice, dic quidnam, datq; deditq; calix?
 An non de specie dùm digladiantur utrâque,
 Nil præter species dantq; tenentq; suas?
 Et dùm contendunt, Corpus cum Sanguine perdunt,
 Et panem comedunt, vina scyphosq; bibunt.
 Quid noster Martinus agit? dùm turget & urget,
 Postulat & calicem? nempè petit calicem.
 Si Corpus Christi dignè, Christiq; cruorem
 Quæreret, haud calicem quæreret aut speciem.
 Dumq; unam renuit speciem, de Corpore Christi
 Exit, & indignè sumit utramque miser.
 Nam Corpus Christi qui spirituale relinquit,
 Indignè calicem semper & usq; babit.
 Frustrà igitur calicem sumit, quem Ecclesia Christi
 Non fovet, & gremio non tenet illa suo.

Hanc

- Hanc extra nullus , nec Christus, nec quoque Christi
Corpus, vel Sanguis , nec Deus esse potest.
Ergò non calicem, sed quære Ecclesiam , & ipsam
Consule , nàm hæc sola est, corpus editqüe Dei.
Hæc errare nequit, quia Christi sponsa, columna ;
Et Firmamentum, solaqüe firma petra est.
Quam si ubi sit nescis , quæras, quia adire juberis,
Atque ignorare hanc non licet ulli homini.
Propterea summo posita est in vertice montis,
Ne quis Luscosus fortè latere putet.
Hanc audire jubet Moyses , Scriptura, Prophetæ,
Et Verbum Domini, Rector & ipse Poli.
DICES fortassis : quòd sint, Ecclesia Christi,
Qui Verbum Domini ritè docendo tenent.
Prorsus idem per idem respondes, nec manifestam ,
Sed magis occultam , reddis & ambiguam.
Nam quæro hos ipsos, quonam tu Judice nôris ?
Si Verbum alleges, jaçtitat alter idem.
Quin ipso verbo , quod jaçtas, judice, Judex,
Nullaque vel testis lex, suus esse potest.
Quomodo & esse potest lex Judex, quam sibi quisque
Vendicat, & testem judicat esse suum ?
Si Lex est Judex sibimet, testisqüe , quid ergò
A te diversum judicat alter idem ?
Judicium alterius renuis, vis proprium habere,
Scripturæ Judex solus & esse cupis.
Et tamen affiras, quòd lex Scriptura sit ipse
Judex & testis ? Cùm esse te utrumque velis ?
Si tamen, ut reris, Scriptura est testis , & ipsa
Judex, cur non quæ præcipit, ipsa facis ?

*r. Cor. 12.**Oſe. 2.**r. Tim. 3.
Matth. 16.**Matth. 18.**Objec̄tio.**Responſio.*

An

Mattib. 18. An non in dubiis jubet hæc Ecclesiam adire ?
23. Et facere hæc, quicquid dixerit atque docet ?

En verus Judex, tibi quem Scriptura dat ipsa,
 Cur alium quæris ? cur neqüe jussa facis ?

Tu vis Scripturam, Scriptura Ecclesiam, & ipsa
 An non Scripturâ es Judice utrinque reus ?

An vel teste tuo (si cernis) Judice, neutram
 Audis ? sic Judex non nisi tu ipse manes ?

Objectio. DICES : Optanda est Ecclesia, dummodò vera,
 Et verbo Christi consona præcipiat.

Responsio. Ast impossibile est (verbo si credimus ipsi)
 Quòd contra Verbum, falsa docere queat.

Namqüe hoc si posset, nequaquam audire juberet,
 Ipsum te verbum, cùm tamen id jubeat ?

Nec Christi Corpus, nec petra, nec unica Sponsa,
 Nec veri Verbi firma Columna foret.

Et semper dubius, nùm fortè erraret, abires,
 Nec certum quicquam hac conditione foret.

Quin quoque sub tali Synagogam audire jubemur,
 Atque ipsum Satanam conditione quoque.

Ergò errat, quisquis vel posse errare, vel ipsam
 Unquam errasse putat ; vanus hic error abest.

Sed mihi dic quonam certo, hæc Ecclesia Christi,
 Contra Scripturam Judice falsa docet ?

Sanè si erraret, non ipsam audire juberet
 Ipsum te Verbum, scriptaque norma Dei.

Ergò definit quæcunque Ecclesia, vera
 Sunt & erunt semper, falsa nec esse queunt.

Non ergò posthac mundum, Papam atque sequaces
 Accusa ob calicem, vel calicis speciem.

Unio

Unio te teneat, species quam denotat una,
 Divisos species semper alunt animos.
 Sat tibi sit Christus, qui si modò rursus adesset,
 Unam, ne dubites, non daret ille duas.
 Námque modò, ut dixi, causæ velut antè subessent,
 Nullæ, cur calicem rursus ut antè daret.
 Quin magis unitum quo se monstraret, & unum,
 Nos omnes corpus spirituale suum.
 Unam duntaxat, non plús præberet utramque,
 Et magis unitos una facit populos.
 Ulteriùs pergunt nostri, quæruntque Ministri,
 Cur Papa & Monachi semper utramque tenent?
 An quia scit solam nulli conferre salutem?
 An melior reliquis, Papaqué cum Monachis?
 Aut fors se solum credit dominarier orbi?
 Se solum dignum, qui bibat ex calice?
 Cur Testamentum Christi inviolabile mutat?
 Cur prodesse sibi credit, obesse alijs?
 Cur dat dimidium populo tantummodò Christum?
 Cur tollit calicem, quem babit ipse tamen?
 An non Gelasius speciem commendat utramque?
 Et Sacramentum dimidiare vetat?
 Cur non attendit populi lamenta? querelas?
 Clamores? voces? vota? precessque? minas?
 Quis non miretur tam vana & inania verba?
 Ecquid enim ob calicem plusve minusve foret?
 Cur falsò insimulant, alijs quod præbeat unam,
 Papaqué cum Monachis sumat utramque suis?
 Hoc vel morte suâ falsum testatur; in ipsâ
 Morte unam tantum Laicus ut recipit.

Objec^{tio.}

De Confe-
cret. d. 2.C.
comperimus.

Respon^{sio.}

G

Solum

Solùm cùm Missam celebrat, tunc sumit utramque,
 Extra illam nunquàm, quin nec utramque petet.
Quod nunquàm faceret, si non satis esse saluti,
 Unam cum populo crederet esse suæ.
Ergò nec melior Papa est, nec major habet
 Ob calicem, nam unam Laicus ut recipit.
 Missa autem tantùm signat sub utrâque figuram,
 Quondàm Melchisedech, Paschatis atque crucis.
 Utroque nil prorsùs plùs dat de sanguine Christi
 Præsbyteris, reliquis quàm dat & una quoqué,
 Et quænam illa, rogo, populi lamenta, precesque?
 An unquam Christi plebs petijt calicem?
 An non plebs Christi totum contenta per orbem,
 Ante Lutherum Hussum semper ubique fuit?
 Nos sanè Christus cùm Patrem orare doceret,
 Panem, non calicem nos docuit petere.
 An non ipsius quondàm hæc sunt verba Lutheri:
 Quòd si quandò Papa (en) vellet utramque dare.
 Nos in despectum, vel nullam omnino, vel unam
 Tunc dare vellemus? Núm ergò petit calicem?
 Inq; locis alijs multis non improbat unam,
 Non ergò fervor, sed furor est populi.
DE TESTAMENTO CHRISTI, quod fantur, apertè
 Vim faciunt ipsi, falsificantque palam.
Nam nullum calicem nobis, panemque reliquiæ
 Pro testamento, (nam foret hoc modicum)
 Sed verum & vivum corpus, cum sanguine vivo,
 Quæ duo nullus homo dissociare potest.
Ergò cùm solvi sanguis de corpore Christi
 Amplius haud possit: quid precor, obijciunt?

Quo-

Quomodo dimidium Christum sine sanguine in una

Objectant? quem vis solvere nulla potest?

Ast hoc nemp̄ volunt, calicem sine sanguine quærunt,

Nos usum volumus sanguinis, haud calicis.

Quisquis & à Christi divellit sanguine corpus,

Is reus est Christi sanguinis, atque necis.

Hinc quoque non recte Christum infers dimidiatum,

Aut medium, ob speciem dixeris alterutram.

Sumptio nos panis, non significatio nutrit,

Corpus, non signum corporis expetimus.

Sed de Gelasio quidnam dicemus? & ipso

s. Ioan. 4.

Quondam Romano Præfule veridico?

Objec̄tio.

De Gelasio.

An non sacrilegos vocat omnes atque scelestos,

Qui sacras species dimidiare jubent?

Verum hic de Missâ loquitur, non sanguinis usū,

Responsio.

Fusi, non hausti est sanguinis ille typus.

Nos nullum signum (ut dixi) nullamque figuram,

Quærimus effusi sanguinis, aut calicis.

Missâ necis Christi Sacramentum in cruce passi,

Nos vivum Christum quærimus, & petimus.

Nos non passurum, sed passum, nec moriturum,

Sed vivum Christum sumimus, atque damus.

Nos missas facimus species, dum corpus habemus

Vivum, cum Christi sanguine vivifico.

Vos dum de Christi præcisi corpore, inanes

Urgetis species, conteritisque dies.

Nil nisi, quas dixi, species retinetis inanes,

Et Christo, & Christi sanguine pervacuas.

Ergo si causam queras, cur utraque vulgo

Non detur species? est quia non opus est.

*Seimmarie
cause cur
non detur
calix.*

G 2

Nam

- Prima.** Nam quod post mortem Christi, cœnamque peractam
Utraque dat populo, præbet & una quoque.
- Secunda.** Altera causa ista est: quia nullus fructus ab illâ
Consequitur major, sumptio digna minùs.
Dissidium, rixæ, contentio, schismata, sectæ,
Sunt fructus calicis, gratia nulla nova.
Non ideo in Christum culpam tu coniice, rectè
- Tertia.** Cuncta Deus fecit, sunt tamen indè mala.
Tertia: Nec corpus divulsum à sanguine credas,
- Quarta.** Aut dare plûs calicem, quam dedit una quoque.
Quarta est: ut populus Christi, velut ipse sit unus,
Ac unum corpus monstrat, & efficiat.
- Quinta.** Quinta est: Nam calicem non expedit omnibus esse
Communem, ne quis sanguis ab ore fluat.
Aut non, ut par est, reverenter ubique bibatur,
Nec sic tractari, panis ut ipse potest.
- Sexta.** Hæc sexta est: hominum quia pars abstemia abhorret,
Pars consecratum non babit ægra merum.
Denique sic usa est Ecclesia semper in orbe,
Sic semper tenuit, sic tenuere Patres.
Cumque fidem contra, nec contra, Ecclesia, verbum
Christi errare queat, sola sat esse potest.
Hinc verbum ipsum inquit, qui non Ecclesiæ obaudit,
Ethnicus & certus sit tibi ut hæreticus.

QUÆSTIO OCTAVA. DE MISSA.

ATQUE HÆC DE Cœnâ: veniet post quam quoque Missa,
De quâ discursum Carmina nostra ferent.

Nam

Nam nimis horrendum, nimis & crudele videtur,
Christum, ceu quondam, sacrificare iterum.

*Sententia Ac-
catholicorum
contra Mif-
fam.
Hebr. 7.*

Tum semel oblatus, passusque & mortuus olim,
Amplius offerri nescit, itemque pati.

Tum quia pro nobis semper sese ipsem offert,
Ac nisi dilaniat, nemo litare potest.

CONTRA EST: Si nullum scelus est, nullumque piaculum, Pro Missa.
Christum, quem colimus, mandere vel bibere.

Quomodo crimen erit, simili ratione litare?

An quoque qui comedunt, absque cruento litant?

Et si pro nobis semper sese ipsem offert,
Offerri a nobis, quomodo crimen erit?

Rursus & in templo, num verè Christus ad aram
Et prius oblatus, quam pateretur, erat?

Luc. 20.

Rursus: cum Coenam celebraret, nonne figuram
Paschatis implevit? Melchisedechque typum?

Luc. 22.

Hostia panis erat, vinumque oblatio Pascha,
Jam simul & panis, Paschaque Christus adest.

Gen. 14.

Dependet Sacerdotum proprium esse, offerre sacrata
Munera pro populo, pagina sacra docet.

Ioan. 6.

Si panem tollas calicemque, quid offeret, oro?
Si fingas aliud, non erit id proprium.

Psalm. 109.

Ordo Sacerdotis Christi, ordo est Melchisedeci,
Qui panem & vinum protulit, haud aliud.

Quae si quotidiè non vult, jugiterque per orbem
Offerri, in Coenam cur precor, exhibuit?

Quorsum per mundum, mundam, puramque Prophetæ *Malach. 1.*
Offerri clamant Hostiam? eamque jugem?

Dan. 11.

Si nulla in mundo jugis est oblatio munda,
Namque alia haud ullæ est munda nec esse potest.

Objectio. In Cruce, sed dices, mundam fortassis fuisse,
Ac mundam in cœlis, semper & esse jugem.

Responsio. Sed perpende parum; fuit illa: sed esse Prophetæ,
Et duraturam semper in orbe, canunt.

In cœlo jugis est, sed noster in orbe Prophetæ
Atque inter gentes, hanc fore & esse canit.

Deinde inferretur, si Christus ritè Sacerdos
Ordine Melchisedech, nunc super astra foret,

Quod simili ritu Panem Vinumque litaret,

Ordine prædicto nunc super astra quoque.

Ast hoc quis dicat, fingatque aut somniet unquam?

Sola ergo Christi victima, Missa manet.

Rectè ergo à nobis, pro nobis ille litatur,

Qui se pro nobis semper & ipse litat.

QUÆSTIO NONA. DE JEJUNIIS.

- Sententia Ac-
cathol. con-
tra Jejunium.*
- O**rdine posthæc succendent Jejunia, Vota.
Quid sunt, quid profint, quisve ea constituit?
Ecquid enim profunt jejunia? votaque nostra?
Quis Deus, aut Dæmon jussit & instituit?
Ephes. 5. Ut Corpus foveas, habeasque in honore juberis,
Non ut discriuties, Emaceresque datum est.
Matth. 6. Nunquid & Hypocritæ jejunant, & Pharisei?
Luc. 18. Quid prodest ipsis se macerare cibis?
Rom. 3. An forsan carnem macerando mereberis astra?
Isai. 58. Falleris: vna fides atque ea sola beat.
Optima Christigenūm jejunia, sobria vita est,
Vitaque flagitiis, non inimica cibis.

Quos

Quos Deus Omnigenos hominum produxit ad usus,

Cur prohibet, stomacho semper hiante meo ?

Quomodo qui corpus dat, vult maceremus ut ipsum,

An non est Sathanæ dogma, vetare cibos ?

NON rectè saturi ventres jejunia culpant,

Sobria turba Diis, Ebria nulla placet.

*I. Tim. 4.
Pro Lejunio.*

Quid Gula & Ebrietas noceant, jejunia prosint,

Cur opus est multis quærere ? nonne patet ?

Ebrietas plures, quam sustulit ignis & ensis.

Invictique armis Ebrietate cadunt.

Nulli Christicolæ veri jejunia damnant,

Laudârunt omnes, qui placuere Deo.

Nonne Deus primos cùm condidit ipse Parentes,

Gen. 3.

Jejunare jubet ? mandere poma vetat ?

An quia fregerunt jejunia jussa Parentes,

Pro solo pomo, fit miser omnis homo ?

En vetat ille cibos, hominum quos fecit ad usum,

Cur tu doctrinam Dæmonis esse crepas ?

Si prohibere cibos scelus est, & Dæmonis astus,

Cur vetuit primus conditor ipse Deus ?

An non econtrà, quos conditor ipse vetabat,

Dæmon suadebat, morte sequente, cibos ?

*Zach. 8.
Mattb. 5. 17
Luc. 5.*

An non quæ Sathanæ tribuis jejunia, passim

Ipse probat Christus, suadet & ipse Deus ?

*2. Cor. 6.
Act. 13.*

An non orare, an non jejunare frequenter

Admonet, inculcat, consulit, imò jubet ?

Rursū : si à Sathanâ (ut dicis) jejunia manant

Quomodo, dic, illis pellitur ipse Sathan ?

Nam sic Christus ait, quod per jejunia Dæmon

*Matth. 7.
Marc. 9.*

Pellatur, dic nunc, quomodo is author erit ?

Si

- Mattb. 6.* Si nihil in cœlis jejunia sacra merentur,
 Quomodo dic Christus, quod mereantur, ait?
Tu cūm jejunas, inquit, caput unge, Paterque,
 Qui videt in cœlis, præmia digna dabit.
Ergo cibus bonus est omnis, malus est tamen idem,
 Si contra Domini jussa gulosus edas.
- Mattb. 4.* Sic jejunavit Christus, cunctique Prophetæ,
Psal. 34. 65. Quin gentes etiam, Thalmucidiique viri.
108. Sacra famæ mentem pascit, Cacodæmona pellit,
Mattb. 17. Liberat à morbis, liberat à vitijs.
 Corpora quæ dapibus turgent, jejunia curant,
 Sanctaque sobrietas sobria corda facit.
 Quam nullus Medicus curat, nullusque Galenus,
 Sacra famæ Podagram curat, & Hydropicam.
 Quis modò præpinguis culpet jejunia venter?
 Quis non collaudet, suadeat atque probet?
 Quis non cūm Christo, cunctisque libenter, & ultero
 Jejunet sanctis vatibus, atque viris?
 Si Christum jussisse negas, Ecclesia Christi,
Mattb. 18. Hanc audire jubet, jussit & id satis est.
 Omne quod est frugi, si non fit ritè, jubetur,
 Fœlix mandatum, quod meliora jubet.
- Matt. 6. 16.* Cura animæ, nulla est perituro corpori habenda,
Marc. 6. Nec facilè ascendunt corpora obesa polum.
Rom. 8. 13. Et quisquis carnem sequitur, nec deprimit illam
1. Cor. 5.
2. Cor. 10. Jejunans, post cūm Carne peribit item.
Gal. 1. 3. 5. Rectè igitur suadent Jejunia sacra, jubentque,
Coloss. 2. Exemplo Christi, Dogmata Pontificum.



QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA. DE VOTIS.

JAm quorsum Votum? quorsum servare, vel ipsa
Quod natura negat, velle vovere DEO?

Sentent. Ac-
Cathol. con-
tra Votum.

An non conjugium cunctis Deus ipse sacravit?

Cur Præses tollit, quod Deus instituit?

Crescite, non dixit, sterilescite, nubere jussit

Genes. 3.
1. Cor. 7.
Matth. 8.
Luc. 4.

Non urit Paulus, nupsit & ipse Petrus,

An non, ut generent homines, generantur & illi?

Cur homini vitam, quam dedit ipse, negat?

Si Deus esse hominem solum voluisset Adamum,

Non ipsi sociam, de osse creasset Ewam.

Ergo hanc cum vitam dederit tibi providus alter,

Tu quoque da vitam, tu quoque fac hominem.

Vota quid incusas? si sunt reddenda, jubente,

Pro Votis.

Quomodo non etiam sunt facienda DEO?

An non expressè dicit Scriptura, vovete?

Psal. 115.

Et quæ vovistis, reddite vota DEO?

Si quid vovisti, ne reddere stulte moreris,

Eccl. 5.

En quoque reddendi displicet ipsa mora.

Et quis Virgineis carnales conferat actus?

Eccl. 26.

Quis castis nuptas, dixerit esse pares?

Curat Virgo DEUM, sed curat nupta maritum,

1. Cor. 7.

Diligit illa DEUM, diligit ista virum.

Gignimur in mundo, non ut gignamus in ipso:

Vivat ut in cælo, nascitur omnis homo.

Is quoque qui dixit, quod præstat nubere, quam uri,

Vult omnes homines esse sui similes.

H

Nec

- 2. Cor. 12.* Nec cùm urebatnr, stimulos uxore repressit,
 Sed flagris, precibus, continuâque fame.
 Sic fecit Paulus, sic Petrus, sic Benedictus,
 Sic omnes Patres, Virgineusque Chorus.
 Nec mihi tu Petrum obijcias, quasi duxerit ullam,
 Postquam jam Christi sorte Minister erat:
 Cùm duxit, piscator erat Bariona vocatus,
 Nondum Petrus erat, nec Petra dictus erat.
 Ante Ministerium Christi fuit ille maritus,
 Post verò, missâ conjugे, castus erat.
 Quin ipse ac omnes alij, quas ante habuerunt,
 Post, dimiserunt sponte Ministerium.
Mattb. 19. En nos, Petrus ait, dimisimus omnia: Patres,
 Matres, Uxores, Christe quid ergò dabis?
 Nonne thronum summi promittit & æthera cæli?
 Utrum ergò uxorem suadeat ille? vides.
 Uxorem, dixit, quicunque reliquerit ipsam,
 Non is qui dicit, postmodò salvus erit.
Apoc. 14. Hinc Agnum cæli, casti, innuptique sequuntur,
 Non nupti aut juncti fœdere conjugij.
 Et si tám sanctus thorus est, tamque immaculatus,
 (Ut quidam spretâ Virginitate volunt)
 Quomodò tám sanctus tám purus & immaculatus
 Agnus (qui tollit crimina nostra) DEI:
 Noluit ex nuptâ, sed castâ ex Virgine nasci?
 Cur sprevit thalamum? conjugijque thorum?
 An qualis sponsus, talis quoque sponsa placebit?
 Et castus, castos plùs volet esse viros?
 Jam quid mercedis capiat sine conjugé cœlebs,
 Expressit Christus, quandò rogatus ait:

Sunt

Sunt qui castrârunt se regni propter amorem
Cœlorum: hinc castis astra patere vides.
Non tamen idcirco thalamus damnatur honestus,
Sed si nupta placet, plūs pia virgo placet.
Quin etiam natura docet præcellere castos,
Et multos quondam continuisse liquet.
Hinc nuptis quondam Vestalis virgo præibat,
Atque adeò in cœlo, continet omnis homo.
Quin coelestis homo terrestris, & Angelus ille est,
Qui vitam in mundo duxerit absque thoro.
Antiquis ergo ac illis tantummodo dictum est,
Crescite, qui possunt nubere, quique volunt.
Ergo qui nubit malè non facit, inquit is idem
Paulus, sed qui non nubit, agit melius.
Sicut, qui vinum bibit, is male non agit; at qui
Non bilit, is longè rectius & melius.
Et quia quæ Domini sunt, querere quisque tenetur
Præsbyter, hinc opus est castus ut ipse fiet.
Quod si quis nequeat, vel nolit vivere cœlebs,
Nubat, non voveat; nam data vota ligant.
Nullus, quod voveas jubet, at si voveris ultrò,
Ut serves votum, Christus & ipse jubet.
Quod si quis tandem doceat fortassis Minister,
Quod cœlebs nullus vivere possit homo.
Ipsum se prodit, quod nunquam vixerit antè
Conjugium cœlebs, mœchus is ergo fuit.
Et sua quam duxit mulier pro conjugi, quæro,
Anteà quam duxit, castanè continuist?
Si castè vixit: cur nullum vivere posse
Clamat? si potuit, quomodo nemo potest?

*Mattb. 22.
Marc. 6.
Luc. 20.*

1. Cor. 7.

Aut

Aut ergò ipsius falsa est doctrina, vel ipse
 Mœchus & ipsius mœcha quoqué uxor erit.
 Denique si verum est, quod nemo vivere possit
 Castè, nulla ergò casta fuit, vel erit.
 Antè ergò Uxorem poteras si vivere castè,
 Quomodo post illam, vivere non poteris?
 Tu Christi servus semper meliora sequaris,
 Si te non castè vivere posse putas:
 Numen adi, castaque preces, ad, dirige, Christum,
 2. Cor. 12. Síc Paulus fecit, sic quoque tu facies.
 Dat, quodcunque petunt homines super æthera Christus,
 Quod natura negat, gratia suppeditat.

QUÆSTIO UNDECIMA. DE PAPATU.

*Sententia Ac-
catholicorum
contra Pa-
pam.*

DEniq; quod monstrum Papa est? quis condidit illum?
 Quis dedit, ut faciat, quicquid ubique placet?
 Quis dedit, ut leges figat? diademata tollat?
 Rursùs & imponat? séque Deum statuat?
 Quis dedit ut regnet? thesauros congreget? orbem
 Territet? Imperium transferat? arma gerat?
 Hæreticos dicat, quicunque furoribus ejus
 Obsistunt? laqueo strangulet? igne cremet?
 Quis dedit ut Romam teneat? Cathedramque gubernet?
 Cur simùl Imperio vim facit, atque polo?
 Quis claves Regni cælorum contulit ipsis?
 Quis dedit ut reseret, rursùs & astra seret?
 An plus fortè potest, quam alij quicunque Ministri?
 An cupid ut stygius Lucifer esse Deus?

Quis

Quis dedit ut verbum Christi inviolabile mutet?
 Præscribat Canones, dogmata constituat?
 Quis ferat ut Cœlo rabidus dominetur & orco?
 Et simûl in vitam sœviat atque fidem?
 Quod Deus omne ligat, contrarius ipse relaxat,
 Quæ jubet, ille vetat; quæ vetat ille, jubet.
 De Votis satis est: Et nunc veniamus ad ipsum
 Papam, qui est orbis spirituale Caput.
 Quomodo, si non est Christo fundatus ab ipso,
 Et simûl æterno robore firma Petra;
 Solus & imbellis potuit sibi subdere mundum?
 Et quod Rex potuit nullus in orbe, potest?
 Quomodo, si à Christo non est, servatus in ævum est?
 Quomodo stare potest dogma, quod absqué DEO est?
 Omnis ait Christus, plantatio pessima, quam non
 Ipse Pater plantat, vellitur atque perit.
 Quomodo si cuncti reliqui periére Ministri,
 Diversam ac pravam qui docuere fidem:
 Non etiam periit cùm aliis radicitus olim?
 Quomodo contra omnes solus & unus ovat?
 Quomodo, si Christi non est plantatio, regnat?
 Quomodo & inuito statque stetitque DEO?
 Recte igitur sequitur: solus quia statque stetitque;
 A solo est ergo constitente DEO.
 Diversum cultum nullum, nec dogma fidem
 Obtrudit, fingit; sed rogat atque jubet
 Undique quam semper Christi tenuere fideles,
 Quam Patres veteres prædocuere pij.
 Cur ergo solus traducitur iste, nec isti?
 Relligio similis cùm sit, & una fides.

Sententia
 contraria
 pro Au-
 thoritate
 Papæ.

Act. 5.
 Matth. 15.
 Sap. 4.

Et quod dogma tenet, longè est antiquius ipso,
 Quam docet, à nobis accipit æque fidem.
 Hinc quoque nobiscum Catholicus ipse vocatur,
 Priscam cùm nobis quòd tenet usque fidem.
 Et tenet in mundo, tentam quam invenit ubique,
 Cum veteri veterem, Relligione fidem.
 Verùm, cur, quæso, tanto traducimus æstu
 Papatum ingrat? quid malè promeruit?
 Nunquid enim Mater (si spectes Relligionem)
 Quæ nos progenuit, solus & unus is est?
 Undè, oro, Libros nossos sacrosque Prophetas,
 Scripturam, aut ullum Relligionis opus,
 Si non Papa foret, nullus Papatus in orbe?
 A solo namque est, quicquid ubique boni est.
 Nec nostro superos adjissent dogmate cœlos
 Majores, verum nì quoque dogma foret:
 Ecquid enim est aliud Papatus dogma moderni,
 Quam Doctrina, Fides, Relligioque vetus?
 Sola hæc Relligio semper duravit in orbe,
 Omnes & reliquias sustulit ista fides.
 Et Quæro : An Patres nostri cunctique fideles
 Sint salvi Veteres? arbitror esse dabis.
 Jám si sunt salvi, nostro sint dogmate oportet
 Salvi, namque aliud nec quidem in orbe fuit.
 Ergò diversum qui dogma fidemque sequuntur,
 Non salvabuntur, causa parata subest.
Ephes. 4. Nám sicut Deus est Unus ; sic Unica tantum est
 Vera Dei salvans, Justificansque fides.
 Hanc si Majores nostri tenuere, necesse est,
 Non teneant, aliam quotquot in orbe tenent,

At

At tenuisse patet, nām si illam non tenuissent,

Jam nec salvati, nec super astra forent.

Rurfūs : Vera fides, Christo si credimus almo,

Luc. 22.

Nunquām defecit, nec quoque deficiet.

Publicum & ipsius semper purumqué necesse est,

Esse Ministerium, sivè Magisterium.

Nāmque fides ex auditu est, auditus ab ipso

Rom. 10.

Verbo, sed verbum de referente venit.

Jam si vera velis (posito rancore) fateri,

Nec te transversum suasio falsa trahat.

Nulla fides, nullum fidei post sæcula Christi

Sivè Magisterium, sivè Ministerium,

Nullus homo, Doctorqué fuit nullusqué Minister,

Ædituus nullus, nullus ubique puer :

Nulli Christigenūm cōetus, Ecclesia nulla,

Nullāque Relligio, quām sacra Pontificum,

Firmior ac nulla est fidei deductio veræ

Quām firma & semper continuata fides.

Ecqua ergò est hominum sententia falsa putantūm,

Esse aliam veram posse, vel esse fidem?

Ne fortè occultas hominum fictasqué Chymeras,

Sub scamnis quondam delituisse putas.

Scilicet occulta est cunctis quam dogmate in omni,

Ipse jubet cunctos publicè adire Deus.

Quomodò adire potes, si ubi vera Ecclesia nescis?

An quòd ubique patet, semper ubique latet?

Si nullus fidei est auditus, quomodò Paulus

Ex solo auditu prædicat esse fidem?

Et nullum quondam fore, qui prætendere possit,

Se non audisse, aut se latuisse fidem?

Jám

Jám quòd scripturas jactas, scriptosque Prophetas,
 Et Verbum Domini: prorsùs inane cribrum est.
 Nam quod tu jactas, alij plūs te quoqué jactant,
 Et sua scripturis dogmata quisque probat.
 In varios sensus sacra cùm scripture trahatur,
 Qui verum teneant, quisnam idiota sciet?
 Ergò alia à verbo statuenda est regula scripto,
 Quam depravare, & nemo negare queat.
 Ceu verbi Judex alius, qui fallier, & qui
 Fallere non possit; vana vel ipsa fides.
 Hæc est Paparum, fateor, successio vera,
 Scripturæ Judex ipsequé Papa sacræ.
 Qui si non mundi caput est, jam nec quoqué mundus
 Sincerā poterit Relligione coli.
 Tolle caput, corpus quid erit, nisi truncus inanis?
 Ipsaque confusum cœtera membra Chaos?
 Exemplo prostant alij quicunque Ministri
 In quorum non est Religione caput,
 Nam quod quisque probat, diversum dogma tuctur,
 Judex & caput est quilibet ipse sibi,
 Sícque unum dūm ferre caput Papale recusas,
 Uno pro centum fersqué, tenesqué miser.
 Nec caput hoc capitî Christo præjudicat unquam,
 Quin magis illustrat, detegit atque probat.
 Ceu Prorex Regem, velut & Proconsule Consul
 Non obscuratur, sed magis asseritur.
 Et quicunque vices alicujus sustinet, ille
 Non negat, aut minuit, sed manifestat herum.
 Papa ita, qui Christi personam sustinet, ipsum
 Non negat esse suum, sed probat esse caput.

Si

Si dicas: Christus caput est, non indiget illo,
 Dic membris alijs quomodo Christus eget?
 Ergo velut membris alijs multisque Ministris,
 Sic uno in terris indiget & capite.
 Quin si non aliquis sit summus in orbe Minister,
 Qui nunquam à fidei dogmate deficiat:
 Quemque alij cuncti de Religione sequantur:
 Nulla erit in terris integra Religion.
 Nulla fides stabilis, constans doctrina nec ulla,
 Omnia nutabunt, omnia erunt dubia.
 Quisque suum cerebrum sensumque sequetur ineptum,
 Et quod quisque volet, crebet agerque simili.
 Si quid ei opposas, vel tu contraria credas,
 Mox verbum Domini dicit id esse suum.
 Et sic judicio proprio, nascique peruncto,
 Quò te quisque volet, falsa docendo trahet.
 Hinc mox dissidium, turbata Ecclesia, sectæ,
 Mille Ministrorum dogmata, mille fides,
 Ergo opus est nōris certò, qui in Religione
 Prorsus non erret; vana vel illa manet.
 Hunc successorem Petri, si quis neget esse,
 Quem dabit aut finget constituerque rogo?
 Soli quippè Petro dictum est, ego, Petre, rogavi
 Pro te, firma fides ne tua deficiat.
 Et quamvis alijs etiam cunctisque Ministris,
 Quæ Petro Christus dixerit & dederit:
 Ast nulli soli, dixitque deditque quod isti:
 Petrum non reliquos pascere jussit oves,
 Petrum, non alios dixit, fecitque Simonem,
 Et Petrum & Petram nomine reque Cepham,

Objectio.
Responsio.

Luc. 22.

Ioann. ult.

I

Petra

1. Cor. 10. Petra quidem est Christus, sed Christi petra, basisque
Matth. 16. Ac fundamentum Petrus, itemque caput.

Et super hanc Petram fundata Ecclesia Christi est?

Aut si non Petra est, quomodo dic Petrus est?

Namque aliud Petrus non est, nisi Petra Cephasque
 Vera ergo est Christi Petra, basisque Petrus.

Petra Caput Christus, fundamentumque supremum,
 Sed Christi in terris, Petra caputque Petrus.

In terrâ Petrum, summo sed in æthere Patrem,
 Creditur & rectè Christus habere caput.

Matth. 16. Quòd si quid moveat, te fôrs confessio Petri,
 Hanc quoque solius noveris esse Petri.

Unus præ reliquis cunctis illam edidit, ipsum
 Quòd reliquos inter sat probat esse caput.

Et tantùm caput hoc Petrus, præjudicat actu
 Christo, quantùm actu cœtera membra quoque.

Os, oculos, aures & membra Vicaria multa
 Christus habet, cur non quòd regat illa, caput?

Hoc caput est Petrus sub eodem corpore membrum,
 Ipsius, ac Christus corporis atque Petri.

Cunctos expetiit Sathanas cribrare Sodales,
 Pro solo Petro, nè cadat, en, rogitat.

Luc. 22. Et quia firma fides, Christique Cathedra requirit,
 Ut minimè erret, qui sustinet hancq; regit:

Errare idcirco non posse docetur in illis.

Quæ Papa injungit, quæ quoque Papa docet.
 Hinc ea cunctarum sententia vera Scholarum,

Erret quòd nunquam, quòd neque deficiat.

Omnia quòdque suo sub pectore scrinia Juris,
 Contineat, licet in jure sit ille rudis.

Papa loco Christi est , ligat omnia , & omnia solus,
Omnia ceu Princeps dirigit atque regit.

Mattb. 16.

Si causam quæris , causa est , Numenque fidesque ,
Ut sit firma fides , postular ipsa fides.

Jam nisi sit Judex unus , firmusque Magister
Qui nunquam à verâ possit abire fide :

Prorsus & à verbo nunquam deflectere , & ejus
Nativo sensu ; dogmata cuncta ruunt :

Nullus erit Doctor , de quo sis certus an erret ,
Sic erit aut nulli , aut omnibus æqua fides.

Nil prorsus credam , quia si de Judice certus
Non sum , de verbo quomodo certus ero ?

Omnia nutabunt in Religione fideque

Dogmata , Sectarum nullus erit numerus.

Biblia si opponas , Moysemque omnesque Prophetas ,
Atque omnes Paulos , Psalmidicosque libros ;

Nil facies , nil efficies & perficies nil ,

Quod dices , dicet quilibet alter idem.

Nonnè vides omnes , ut jaçtant Biblia passim ,

Quisque tamen proprium dogma , tenetque fidem .

Et quodcunque docet , textu , sacrisque tuetur

Libris , se certum quilibet esse putat .

Si quæras : quonam se certos Judice nōrint ?

Allegat verbum quisque repente Dei .

Non est ergò fides , sed prorsus opinio vana ,

Dicere quod Judex lex sit , & ipse liber .

Lex est materies litis , quia muta magistra est ,

Quam se vel solum quisque tenere putat .

Lex non est judex sibimet , sed scripta requirit

Judicem , & hunc certum prorsus & indubium .

Si certus non sis de certo judice verbi,
 Nunquam de verbi dogmate certus eris.
 Hinc impossibile est sine judice Religionem,
 Aut infallibilem prorsus habere fidem.
 Semper enim haerabis, num fors, qui judicat errer,
 Sic nunquam certus, semper eris dubius:
 Est sed opus certo, qui falli, & fallere prorsus
 Nesciat, in terris judice perpetuo;
 Qui nobis certum sensum testetur & usum
 Verbi, quod sacri suntque tenentque libri.
 Talis si tu sis, dic nobis: sin minus absis,
 Quam summum Papam quem dabis ast alium?
 Si tu ergo non sis, aliumque nec assignaris,
 De verbo Domini quomodo certus eris?
 Si verbum dicas certum? non abnuo; sensum
 Sed quare certum, prorsus & indubium.
 Quem si non dederis, dubius sine fine manebis,
 Et sensu semper decipiere tuo.
 Aut ergo certam da nobis Religionem,
 Aut Papae intactum dogma relinque, rogo.
 Id namque in mundo solum, semperque manebit,
 Quod solum in mundo semper & usque fuit.
 Si Verbum opponas, Verbum sibi vendicat ipsum
 Quilibet, ut Christum: sic velut ante manes
 Incertus prorsus de certo judice Verbi,
 De Sacramentis, Religione, fide.
 His sic finitis de vero judice Papâ,
 Doctrinâ, cathedrâ, dogmate, lege, fide.
 In medium veniet Paparum vita aliquorum,
 Dissimilis Christo dissimilisque Petro.

Hic

Hic fuit intrusus, fuit ille superbus, avarus,
Invidus, iratus, luxuriosus, iners.
Hic nimis immitis, magus, impius, atque tyrannus,
Obtulit hic falsis thura nefanda Dijs.
Hic sacram invasit per fasque nefasque Cathedram,
Hic turpi ex lucro vixit, adauxit opes.
Hic leges fixit, quas ille repente refixit,
Effosso Papas sustulit igne alias.
Hic fuit armipetens, vrbis turbator & orbis,
Extulit ille malos, sustulit ille bonos.
Hic bello Reges commisit, atque Monarchas
Deposit, posuit, sicut ei placuit.
Hinc sic collimus: Christo si credimus; arbor
Noscitur ex proprijs fructibus ipsa suis.
Ergo malos fructus quae fert, mala sit quoque clarum est,
Pessima cum faciat, pessima cum doceat.
CONTRA alias dicet, rixas qui spernit eorum,
Quid tibi cum vita, quam male Papa gerit?
An non & Petrus Christum bis terque negavit?
An quia peccarat, mox lapidandus erat?
An quia peccavit? male vixit, pessime & egit,
Propterea pravè credidit, aut docuit?
Absit id: Ipsius doctrinam attendere Christus,
Non vitam jussit, Papæ etenim; illa Dei est.
Nusquam pro vita, legitur, Deus ipse rogasse
Petri, sed tantum pro titubante fide.
Vita fidesque simili longo discrimine distant,
Nam vita est Papæ, Christi, quam docet ipse, fides.

Imputatio &
objec^{tio} Ac-
catholice-
rum.

Matth. 7.

Refutatio.

Luc. 22.

Mattb. 23. Quæ dicunt facies, inquit, quia non sua dicunt,
Quæ verò faciunt, si mala sunt, fugies.

Et licet ex spinâ nulla unquam nascitur uva,
At certè ex spinâ nascitur ipsa rosa.

Sic quoque discipuli reliqui Christique Ministri,
Quamvis fecerunt, non docuere mala.

Ioam. 11. Sic Caiphas quamvis perversus & impius esset,
Vera prophetavit, Papa quod ipse fuit.
Tu quoque non semper (nisi fallor) vivis honestè,
Te tamen indubiam credis habere fidem.
Non igitur rectè sequitur, quod qui malè vivit,
Is quoque quod credat, vel malè quod doceat.
Infert, non auffert mundo, Papæ mala vita,
Veram cum verâ Religione fidem.

Nam nisi vera foret, nec tanto tempore staret,
Cum neque cum vitâ, stet mala nulla, bonâ.
Propterea pereunt sectarum dogmata cuncta,
Quantumvis vivant non malè, qui illa docent.
Vera fides reprobos salvat, sed reproba puros
Atque bonos damnat, schismaticosque probat.
Non ergo alterius, propriam sed despice vitam,
Vita aliena docet, propria vita nocet.
Fac tu quæ dicit, fidei si dogmata tangunt,
Non fac si mala, quæ Pontifices faciunt.



QUÆ-

QUÆSTIO DUODECIMA.
DE PRIMATU SUMMI
PONTIFICIS.

Sed de Primatu, dices, quid dicis Amice?
Anne hunc instituit, constituitque Deus?
Unicus est, inquit, nolite errare, Magister
Qui solus pascit, solus ovile regit.
Vos autem non sic, sed qui vult primus haberi,
Christus ait, servus sit veluti minimus.
Gentibus & Populis Reges dominantur & orbi
Vestrum est errantes pascere, non regere,
Nec recte Dominos quis dixerit esse Ministros,
Nec Rex, sed servus, Christus & ipse fuit.
Sed neque Petrus erat, qualem nunc esse videmus;
Qui successorem se vocat inde Petri.
Nec licuit quondam Romanum dicere primum
Pontificem, cum sit Praesbyter ut reliqui.
Resputit & vetuit pariter Gregorius olim,
Inflatum titulum Principis & Domini.
Sic quoque Concilium statuit Carthaginie quondam
Indictum, ut tantum praefideat Latio.
Ast miror nugas, vanasque subinde loquelas,
Si tantum est unus Doctor, ut esse volunt;
Quomodo Doctores tot sunt, & ubique Magistri?
Turba Ministrorum quid facit ampla, rogo?
Quomodo si primus non est, prescribitur ipsis
A Christo, vitæ regula certa suæ?

Sententia Ac-
catholicor.
Matth. 23.

Ioann. 10.

Luc. 2.

I. Pet. 5.

Lib. 4. Epist.
30. 34.

Pro Prima-
tu Pontifi-
cis.

Qui

Qui vult , Christus ait , vos inter primus haberi ,
 (Primus ait) servus sit veluti minimus.

Matt. 10. Est ergò primus , Christo si credere mavis ,
 Hunc autem primum prædicat esse Petrum ,
 Qui quoque Primatum sàt abundè ostendit ubique ,
 Semper enim Petrus primus ubique fuit.

Matth. 16. Primus confessus , primus super æquaora , primus
17. 28. Ingressus tumulum , primus apud Dominum .
Act. 15. Primus post Christum loquitur , miracula primus
 Edit , Concilij primus Apostolici .
 Et quicquid reliqui pariter fecere Sodales ,
 Semper primus erat Petrus : Is ergò caput .
 Si Petrus est primus , meritò quoque primus habetur
 Successor Petri , forma Ministerij .
 Non tamen idcirco servus vel Præsbyter ipse ,
 Vel quoque forma gregis desinet esse sui .

Matth. 13. Formam præscribit Christus , Petrusque regendi ,
1. Pet. 5. Ne veluti Reges sintque regantque truces ;

Matth. 27. Sed formam Christi teneant , qui quamlibet esset
 Rex , primus , summus , maximus , immò Deus :
 Non tamen ut Reges voluit dominarier orbi ,
 Sed Reges verbo pascere & instruere ,
 Si tamen obsistant fidei . summoque Ministro ,
 Subiicitur gladio Rex etiam ipse , sacro .

Deut. 17. Nam qui Pontificis jussis parere recusat ,
Galat. 5. Christus ait , gladio Judicis intereat .
 Implicat haud igitur Dominum simùl esse Ministrum ,
 Regem & Pontificem : Christus utrumque fuit .
 Christus utrumque dedit , sed certâ lege , Ministris ,
 Ut sint pastores , forma , gregisque duces .

Talis

Talis Dux, Pastor, Princeps, Rex, atque Minister
 Christus erat, pavit, rexit itemque gregem;
 Sed non ut Reges alij, mundique Monarchæ:
 Præcipuum Regimen spirituale fuit.

Sic non fecerunt, sed agnovere priores
 Primatum Reges, Pontificemque caput.
 Esse sed à Christo quia cognovere, Deoque,
 Ut nōssent alij, constituere pij.
 Hinc ipsos multis & honoribus, urbibus, agris

Auxerunt, titulos atque dedere novos.

Quòd verò titulos Gregorius ipse superbos
 Respuit, exemplum spirituale dedit.

Primatum sed enim & curam totius oivilis,
 Quomodò si tenuit, respuit aut vetuit?

Sic Christus summus quamvis Rex atque Minister
 Eset, & omnipotens, respuit at titulos.

Denique si multos agnoscis ubique Ministros,
 Hos inter, nullus quomodò primus erit?

An non hos inter, primum vocat ipse jubetque
 Christus, ut & servus sit veluti minimus?

An superintendens non est fortasse Minister?
 Quamvis sit primus, Papaque summus item?

Summum non Regem, sed summum quærimus orbis
 Pontificem Christi, qui regat ejus oves.

Sed tamen in rebus fidei qui præsit, ut ille
 In rebus Regni, sed vice uterque DEI.

Et velut in terris Christus non indiget ullo
 Rege, tamen Regem, Rex licet ipse, tenet.

Constanti-
nus Phocas
Mauritius.

Greg. lib. 4.

*Epiſt. ad
Mauritium.*

2. Paral. 19.

Sic quoque Pontificem ; quamvis sit ritè Sacerdos,
 Summus & Antistes, solus & ipse caput.
 Pastor Pastorum Christus regit omnia , pascit
 Omnia , sed medijs dirigit illa suis.
 Rex Dominus, Princeps, summum caput atque Magister,
 Non operâ ullius , nec vice prorsus egens.
 Et tamen hos omnes vult esse locumque vicemque
 Ordine disposito , quemque tenere sui.
 Ex quibus ut cernis , nullus præjudicat ipsi ,
 Omnes pro Domino stantque reguntque suo.
 Nec video quidnam quicunque Vicarius ipsi
 Præripiat Domino , quin manifestat eum ?
 Concilij objecti nugas ne credito , facta ,
 Si rectè inspicias , omnia repperies.

F I N I S.



